EPHEMERIDES SYRMIENSES

SEU

OBSERVATIONES PHYSICO-MEDICAE

Conſtitutionum anniuerſariarum, inclyti Comitatus Syrmienſis, vicinarumque partium, ad latitudinem loci 45° 30′ longitudinem vero 41° 37′ accommodatae, atque ab ineunte vere anni 1763. methodo Hippocratico-Sydenhamiana practica, huicque ſuperſtructa theoretica demonſtratiua concinnatae

AVCTORE

MART. MARIKOWZKY

EQVITE HVNG. AA. LL. PHILOS. AC MEDIC. DOCT. INCLYTI COMITATVS SYRMIENSIS PHYSICO ORD.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ DE TRATTNERN, SAC. CÆS. REG. AULÆ TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXVII.

ILLVSTRISSIMO
DOMINO
L. B. FRANCISCO A PAVLA
BALASSA
DE GYARMATH,
PERPETVO IN KÉK-KÖ, VÁG-BESZTERCZE, BVDAMER, LIETAWA, EBERHARD,

SACRAE CAESAREO-REGIAE APOST. MAJESTATIS CAMERARIO, AD EXCELSVM CONSILIVM LOCVMTENENTIALE REGIVM HVNGARICVM CONSILIARIO, NEC NON INCLYTI COMITATVS SYRMIENSIS SUPREMO COMITI
&c. &c.

DOMINO
PATRONO SVO GRATIOSISSIMO
OPELLAM HANC DEVOTA MENTE DEDICAT

AVCTOR.

ILLVSTRISSIME DOMINE

L. BARO

SVPREME COMES

&c. &c.

E Syrmiensium partes vicinas, multis retro seculis, praecipuum belli Saracenici theatrum extitisse; maioremque exercituum partem morbis epidemicis, quam armis, consumtam fuisse; adeo ut orae hae, tumuli exterarum gentium titulo, notatae iam pridem sint; rerum gestarum

rum monumenta teſtantur. Cu-
ius mali cauſa, ad neglectam, his
in prouinciis, accuratam mor-
borum epidemicorum obſeruatio-
nem, merito referenda videtur.
Cum itaque TV O *potiſſimum*
auſpicio ILLVSTRISSIME
L. B. *primus in inclytum hun-*
Comitatum Phyſicus Ordinariu-
introductus ſim: officii ratio
exi-

exigebat, ut defectui huic, pro virili remederi conarer. Quod quidem nonnisi continua anniuersariarum constitutionum, exemplo magni SYDENHAMI peracta obseruatione persici posse, rerum harum periti facile perspicient. Accipe igitur ILLVSTRISSIME L. B. lucubrationes has, ea, qua in literas lite-

literatosque ferri ſoles beneuolentia, meque porro patrocinio TVO complectaris, qui perpetuus ſum

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Dabam Vukovár prid.
Non. Junii CIƆIƆCCLXVI.

devotiſſimus cultor
D. MART. MARIKOWZKY.



OBSERVATIONES
PHYSICO - MEDICAE

Conſtitutionum anniuerſariarum, inclyti Comitatus Syrmienſis vicinarumque partium, ad latitudinem loci 45° -- 25′, longitudinem vero 41° -- 37′. ab ineunte vere anni 1763, methodo Sydenhamiana practica, huicque ſuperſtructa theoretica demonſtratiua concinnatae.

---

§. I.
PROBLEMA.

Medicinam perfectiorem reddere.

Reſol. Experientia teſtatur, aſtronomiam, multorum retro ſeculorum obſeruationibus, ad hodiernum florem perueniſſe: analogiae itaque ratio, (cuius argumenti vim, in phyſica exercitatus facile perſpiciet) ſuadet, in perficienda arte ſalutari, eadem via incedendum eſſe. Q. E. I.

 §. II.

§. II.

DEFINITIO.

Morbi ſtationarii epidemici dicuntur, quorum ratio exiſtendi in inſenſibilibus effluuiis corporum, cum atmoſphaera noſtra commixtis, continetur.

Intercurrentes vero audiunt, qui a ſenſibilibus aëris qualitatibus ad exiſtendum determinantur hi quoque alias ſporadici cluunt. vid. SYDENH. Op. pag. m. 42. ſeqq.

§. III.

DEFINITIO.

Morbi endemii nuncupantur, qui alicui loco proprii ſunt.

Qui vniuerſim vel ſunt autumnales vel vernales: hi a ſolſtitio hyberno ad aeſtiuum; illi ab hoc ad illud excurrunt.

§. IV.

Hanc SYDENHAMI methodum cum HIPPOCRATICA conuenire, ſcripta vtriusque de morbis epidemicis abunde docent. De ſporadicis autem euoluatur Sect. III. Aphor. 7. *Εν τοισιν αυχμοισι πυρετοι όξεις γινονται, και ἠν μεν επιπλεον ἡ τὸ ἔτος τοιϐτον ἐον, ἐκαινν και την κατασασιν ἐποιησεν, ὡς ἐπι το πολυ και τα νοσηματα τοιαῦτα δει προσδεχασθαι.*

§. V.

§. V.

Quantam vtilitatem Reip. adferant huiusmodi anniuerſariarum conſtitutionum obſervationes, ex triſti praeteritorum ſeculorum hiſtoria manifeſto patet. Fide digni namque ſcriptores teſtantur, tempore bellorum turcicorum in patria noſtra geſtorum, maiorem exercitus chriſtiani partem morbis epidemicis, quam armis Ottomannicis eſſe interemtam. Merito itaque conqueritur Celeb. D. IOH. PRINGLE in cedro dignis Obſeruationibus ſuis morborum caſtrenſium, pag. 211. ſcqq. febris caſtrenſis hungaricae, (quae anno primum 1566. in Imperatorio orta exercitu, ſparſo dein per maximam Europae partem contagio, immane quantum ſaeuiebat (naturam nondum ſatis diſtincte eſſe enodatam. E contrario Magnif. D. Archiater ANTONIVS de HAEN Academiae Vienenſis h. t. decus, in aureo opere Rat. Med. Part. III. pag. 9. ſeqq. laudat conatus Doctiſſ. D. ANDREAE LOEVV in enucleanda febre petechiali hungarica Anni 1683, vt et filii eius Cl. CAROLI LOEVV, qui ephemerides paternas continuauit; nec non D. GENSELI de Conſt. epid. inf. Hung. anni 1713.

§. VI.

Cum morborum epidemicorum, in primis intercurrentium ratio, in ſex rebus, quae medicis,

dicis, non naturales, dicuntur, ut ſunt aër, cibus et potus, motus ac quies, excreta retentaque nec non adfectus animi, continеatur (§. II.) inſtituti ratio exigit, vt de his diſtinctim ſuccinctam quandam delineationem praemittam.

§. VII.

Quod ad aurae temperiem attinet, ſitus eſt inclytus Comitatus Syrmienſis, ſecundum obſeruationem meam, ex altitudine ſolis meridiana diebus 21. Iuny ſt. n. et 21. Decembris Ao. 1765. inter ſe collatis, erutam, intra 45° et 30′ latitudinis, ac ex emerſione primi Satellitis Iouis, ope tabularum CASSINI, elicui, iacere eundem intra 41°. 37′ atque 42° longitudinis. Notum autem eſt aequatorem a polis 90° diſtare, vnde conſequitur, oram hanc ipſum meditullium Zonae temperatae borealis occupare. Ex quibus facile eſt concludere, quaenam eius loci ſit aëris temperies reſpectu ad calorem et frigus habito. Ponamus enim (abſtrahendo a reliquis calorem aëris producentibus cauſis) eum momento temporis A, eſſe aequalem ſub ipſo aequatore calori b, ſeu in Zonae torridae extremo, noſtrae vicino; in alio vero extremo Zonae temperatae, quo frigidam contingit, eodem momento calorem eſſe = b — c, differentia horum erit = c, agitato aëre per ventum, miſcebuntur inuicem duae hae aëris regiones, per conſequens earum quoque qualitates frigoris ac caloris, vnde in medio Zonae

tem-

temperatae (ceteris paribus) orietur gradus caloris $= b - \frac{c}{2}$ e. g. Celeberr. BOERHAAVE Chem. elem. P. I. pag. m. 187. maximum aëris calorem sub Zona torrida ponit = 84° thermometri Fahrenheitiani, dato, in extremo zonae temperatae, boreali, eum eodem tempore adsurgere ad 60°, esset is eo tum apud nos (ceteris paribus) 72°. Dico ceteris paribus, probe gnarus, calorem äeris ab aliis quoque innumeris caussis, vtpote mora solis supra horizontem, nubibus, montibus ac vallibus, variae indolis exhalationibus in atmosphaera suspensis, ventis ex diuersis mundi plagis oriundis, etc. mirum in modum variari.

S C H O L I O N.

Venti non mutant calorem aëris in thermometro, quatenus eum commouent, in maius frigus, quin potius motus calorem producit: sed quatenus auram e plaga mundi calidiore vel frigidiore nobis aduehunt. Inter omnes vero commemoratas caussas, nulla maius habet momentum, ad mutandum aëris calorem et frigus, ipsis ventis, Prout enim pressio aëris aequatorem vel polos spectantis alteri praeponderat, ea potissimum proportione mutationes aëreae regionis contingere solent. Quia vero exhalationes omnes in atmosphaeram, e globo nostro terraqueo, adscendere debent, pronum est inferre, pro diuersi-

uerſitate regionum terrae, diuerſam quoque fore atmoſphaerae conſtitutionem. Ordo itaque dicendorum, talem Comitatus huius geographicam deſcriptionem, qualem propoſiti ratio exigit, praemittendam ſuadet.

§. VIII.

Longitudo Comitatus Syrmienſis, ab occidente orientem verſus, cum leui quadam declinatione ad meridiem, gradus vnius, ſiue 15 milliarium geographicorum, latitudo autem maxima 7 mill. eſt, quamquam haec plurimis in locis minor eſſe deprehendatur. Figuram trapezii formare videtur, cuius latera, Danubius et Sauus amnes, Vuka item ac Boszut fluuii claudunt. Per diametrum longitudinis Almi montis iuga extenduntur, quibus Aurelius Imperator primus vites intuliſſe fertur. Auſtrum verſus Bebii Caeciique montium iuga viſuntur. Metalla nobiliora aut latent aut deſunt. Vertices quidem montium denſis tecti ſiluis poſterius innuere videntur. Calui namque montes minerarum feraciſſimi ſunt. Reperio tamen paſſim marmor elegantiſſimum, veſtigia item alabaſtri, margam foſſilem, morochtum, asbeſtum, glaciem mariae, cryſtallum, ardoſiam ſ. lithoſtilbon (Schieferſtein) pluraque alia, quae inueſtigare operae eſſet pretium. Inter animalia, Caſtor, ad Ratſa, ſaepe reperitur.

§. IX.

§. IX.

Posteaquam Regnum Sclauoniae, corpori Hungariae rursus insertum fuisset, Sclauonia omnis, in partem prouincialem ac militarem seu confiniariam dispescitur. Haec a tribus legionibus, Petrouaradiensi videlicet, Broodensi, atque Gradiscana inhabitatur, exporrigitque se iuxta alueum Saui, qui Imperium Ottomannicum, his in patribus, a Christiano disterminat. In Comitatu hoc confinium omne sub radice Almi montis iacet, densissimis obsitum syluis, ob exundationes etiam Saui stagnantibus refertum aquis: quamquam nouissime erectis aggeribus amnis iam alueo suo egredi prohibeatur. Candidissimi historicorum romanorum TACITVS ac SVETONIVS memoriae prodidere, Romanos olim in coniungendis fluuiis, ducendisque canalibus ac aquae ductibus immensis operibus desudasse, cuius rei vestigia hic quoque Comitatus quamplurima exhibet. Vuka enim ac Bossut lento suo fluxu ac quasi inuito, arte potius, quam natura sese productos fatentur. Imo extat hodienum fossa, qua antiquitus Sauus ac Danubius flumina, perforato Almo monte coniungebantur. Alueus autem fluuii Vuka ab alueo Bossut, ab oppido militari Vinkoweze, vsque ad vicum prouincialem Nustar, non amplius quam mille passibus distat, nec obscura ibidem adhuc coniunctionis horum canalium exstant vestigia, cumque Boszut paulo infra

Brood ex amne Sauo oriatur, cum hocque Colapis ſeu Culpa celebris Croatiae fluuius ad Siſſek confluat, huiusque origo ad pagum Terſacz vel Terſato a ſinu maris Adriatici vix 10000. paſſibus abſit, quam facili negotio Danubius cum mari ſupero committi poſſit, non obſtante Albae graecae iactura, ex his quilibet leui calculo aeſtimare poteſt: quantum vero emolumenti patriae noſtrae coniunctio Adriatici maris cum Danubio adlatura eſſet, commerciorum peritis procliue erit hariolari.

§. X.

Nomenclaturam legio quaeuis a praecipuo ſuo munimento ſortitur, ut Gradiſcana a Gradiska; Broodenſis a Broodio; Petrouaradienſis a Petrouaradino, quorum ultimum arte & natura adeo munitum, ut ei par in Europa fruſtra quaeſiueris: ſitum etiam eſt in Syrmio. Praeter haec nullas in parte militari reperies civitates, oppida autem & vicos frequentes, tuguriis potius quam domibus conſtantes, quamvis modo & laterum exuſtioni opera detur. Pecora tota ferme hyeme per campos diſcurſant. Orba propter humilem ſitum plerumque vitibus ora, lignatione, paſcuis, arboribusque fructiferis abundat. Nobiliores militum exteri potiſſimum ſunt, per quos, ac commercio cultiorum nationum, occaſione bellorum, gregarii etiam mirum quantum perpoliti ac exculti.

Den-

enfiſſimi ſaltus; aquae ſtagnantes, ac palu-
s, auram his locis grauem & inſalubrem red-
nt. Arbores enim, ut corpora aere ſpecifi-
grauiora, ſordes omnes e paludibus emer-
ntes ac nebulam, lege attractionis ad ſe in-
tant. Unde morbi omnes in ora militari &
rtinaciores & periculoſiores deprehenduntur,
am in prouinciali. Nec abs re laudatus PRIN-
LE ſimili huic nobis deſcripto, Belgii ſitui,
ſervatos ibi morbos tribuit.

§. XI.

Plaga Syrmii provincialis, quae iuga po-
ſſimum montis Albii complectitur, longe ela-
ore loco ſita, ob hoc & ſalubrior eſt. Exhalatio-
es enim e ſolo ſicciori non tam noxiae, nec in
nta copia adſurgunt, neque paludum circum-
centium miaſmata, niſi ad determinatam per
or is eorum, in aere altitudinem adſcendere
oſſunt: adde quod aura montana frequentius
entis imbribusque agitetur ac depuretur. Op-
ida & vici incolis abundant. Loca praecipua
nt Vukovàr, Sarengrad, Sottin, Illok
Ujlak, Ruma, Iregh, Nuſtár: conſtat ex
ominiis Vukovár, Nuſtár, Illok, ſiue Ujlak
quod per apocopen idem ſignificat, ac Ujſt-
kás, quod latine novam habitationem dici-
us) Vojka, Camienecz, ac Camerali, in
uo Cſalma cum aliis pagis. Locorum quorun-
am nomina, ut Ujlak, Diós, Angyalos,

Erdövég &c. ſatis clare innuunt, incolas huius prouinciae olim Hungaros fuiſſe, quibus variis bellorum viciſſitudinibus partim ultra flumen Drauum amotis, partim in captiuitatem turcicam abactis, natio Illyrica ſucceſſit. Ortum procul dubio nomen, dum Dux Syrmii LAVRENTIVS a barbaris urbe Syrmienſi expulſus novam ſedem Ujlakini fixiſſet. ISTVANFI fol. 36. n. 30. Situm etiam eſt in Comitatu hoc ampliſſimum dominium Illokienſe ſeu Ujlakienſe, quod Anno 1698. die 11. Decembris ab Auguſto LEOPOLDO, titulo Ducatus, Principi LIVIO ODESCALKI collatum eſt. Forma regiminis ad normam aliorum Regni Hungariae Comitatuum introducta eſt: moderatur nempe eundem Illuſtriſſimus ſupremus Comes L. B. FRANCISCVS a Paula BALASSA Perpetuus in Kékkö, Vagh-Beſztercze &c. &c. eximius literarum literatorumque Patronus ac Statutor, cuius magna pars curarum in eo vertitur, ut gens haec omni bonarum artium ac ſcientiarum ſtudio, in dies magis atque magis perpoliatur. Quem in finem paſſim nova Muſis domicilia procurat, quo tenera aetas, ab ipſis incunabulis, ad humanitatem efformetur.

§. XII.

Viuacitas hominum haud ambiguum ſalubris aurae eſt indicium. Obuia enim hic exempla eorum, qui aetatem ultra ſeculum prouexere.

ere. Iuga montium limpidiſſimas fundunt quarum ſcaturigines, nec ipſa Danubialis lympha grauis ſanitati, Vuka autem ac Boſſut non erinde conducunt. Solum pingue, quod uber rouentus plantarum, quae tali gaudent terra, t ſunt fagopyrum, triticum, petum, variaeue melonum ac peponum, cucurbitarum item ecies, manifeſto produnt. Saepe namque hae que ad inſolitam luxuriant magnitudinem. Acedit omnis generis fructuum ingens copia. Ager etus paſcuis, amnes variae ſortis piſces ſupeditant, quorum princeps Sylurus videtur. lariſſimum huius emporium eſt Vukovár, hic nim & frequentes & ingentis magnitudinis cauntur.

§. XIII.

Pabulationes largae copiam pecudum ar ſuetiorum alunt. Equi non quidem proce, laborum tamen tolerantiores ſunt ipſis in anatu Temeſienſi natis. Humilis eorum ſtatu, aut peculiari ſpeciei, aut continuae pleimque, tempore etiam brumali, ſub dio dentioni tribuenda videtur. Frigus enim corpo conſtringit; apricatio vero aeſtiua, aucta ula modulum naturalem perſpiratione, ſuccos utritios corpori animali ſubtrahit.

§. XIV.

Cum pecudum mentionem iniecerim, an mihi datur, quid per decurſum triennii, quo

hic

hic loci dego, de earum lue (quae omnino frequenter contigit) obſeruauerim, candide ac ſuccincte edifferendi, praeſertim cum Excelſum etiamConſilium LocumtenentialeRegium, Phyſicis locorum ordinariis iſthoc negotium gratioſe intimauerit. Enimuero labor iſte plurium annorum accuratiſſimas obſeruationes requirit, antequam hac in materia ſolidi quid ſtatui poſſit, adeoque conſultius foret ſingulariter Medicis quibuſdam hocce inueſtigationis opus committere, qui aliis negotiis interea haud diſtinerentur. Proferam tamen quod animaduerti.

1. Obſeruaui luem pecorum, locis magis humilibus, paludoſis paſcuis, nec non exundationibus aquarum obnoxiis, familiariorem eſſe, quam elatioribus.

2. Rubiginem aut rorem ſic dictum melleum, ſaepiſſime mihi conſpicere licuit, cruſtam per hunc plantis impreſſam, oculo armato contemplatus, innumeros in ea vermiculos detexi, acto poſt ea ad infectum tale paſcuum armento e veſtigio luem irrepſiſſe expertus teſtor.

3. Annis elapſis erucae arbores immane quantum depaſcebantur, braſſicamque & olera alia ingenti numero obſedere; nota quoque ſunt exempla, ubi obiecta vaccae verminoſa huius modi braſſica, poſtquam eam deuoraſſet, confeſtim venter murmur continuum edidit, dehinc ſequenti luce fluxa aluo pecus periit.

4.

4. E veterinariorum relatione fide digna didici, nullam in lue hac contagii ſuſpicionem hucdum deprehendi potuiſſe, quin potius infectum pecus, alio in vico, cum ſanis eodem ſtabulo concluſum, his nullam labem intuliſſe. Inde tamen inferre nolim, nullam pecorum luem eſſe contagioſam, ſed quandam ſolummodo.

§. XV.

Quae cum ita ſe habeant, in eam adducor ſententiam, perniciem pecudum perſaepe, a verminoſa colluuie, per pabulum ad primas vias, inde ad reliquas corporis partes delata, oriri. Cum autem bilis facillime putredine corrumpatur Vid. PRINGLE Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, im Anhang pag. 417. quae vermes praecipue fouet, mirum videri non debet, hepar ac ductus biliarios plerumque adfectos, ipſam etiam veſicam felleam, vltra volumen naturale diſtentam, luſtratione viſcerum internorum inveniri. Conf. Eruditiſſ. MAZUCCHELLI notitiam practicam de Epidemico boum morbo Anni 1735. Conſiderationem item morbi pecudum contagioſi, theoretico-practicam Tom. III. Der ökonomiſch-phyſikaliſchen Abhandlungen adnexam p. 727. ſeq. Perill. L. Barone ab HOHENTHAL Auctore editam, add. Celeb. D. GEORGII AVGVSTI LANGGVTH Praeceptoris olim mei in alma Levcorea, ad cineres venerandi, Panegyrin medicam,

cam, de morbi boum contagiosi caussa & sanatione probabili, quam ad diem 5. Octobr. ann. 1753. Vitenbergae indixit, qua non specimen solum eruditi, sed boni etiam ciuis Physicis praebuit. Crebra obseruatione edoctus sum, iumenta, hac, de qua in praesentiarum scribo, lue, correpta, initio, ventris potissimum sonoro murmure infestata, subsecuto dein fluxu saepe cruento enecta fuisse; quod documento est, omasum cum reliquo intestinorum tubo, principem mali huius sedem constituisse. Non abs re itaque Vid. Viri Cl. I. M. GESNERI Scriptores rei rusticae veteres Latinos edit. 1735. 4to. VEGETIVS in praestantissimo suo opere de arte Veterinaria Lib. 1. cap. 21. In corporibus iumentorum sanguinem, inquit, indigestionis vitio plerumque corrumpi, ac paulo post cap. 25. pecudes ab indigestione febricitare contendit. Quod ipsum clarius docet Lib. cit. cap. 40. Venter, inquiens, qui aqualiculus nominatur, totius corporis obtinet dominatum, in cuius capacitate cibus potioque miscetur. Quod si loca illa praestrictio longi temporis vitiaverit, intestinorum dolor & corruptio digestionis necessario sequitur: hinc etiam tortura & extensio ventris, dolorque cum magno periculo, generatur, quae passio graece emphragma, latine praeoccupatio, dicitur.

§. XVI.

§. XVI.

Sententiam hanc id quoque vero similio-
em reddit, quod si pestis pecorum cuiuslibet
atio in miasmate, per athmosphaeram dissemi-
ato contineretur, brumali frigore superueni-
nte, vires veneni, si non in solidum tolle-
entur, saltim certe aliquantisper infringeren-
ur, quod celeb. RAMAZZINI quoque euen-
urum, ast incassum, sperauerat. Vid. Differt.
ius de contagiosa Epidemia Sereniss. Venet.
Duci JOH. CORNELIO dicata Opp. p. 783. Nos
quoque contrarium sumus experti; adhaec ac-
cedit sporadica morbi inuasio. Dic amabo! ec-
cur miasma illud, quod pro causa luis in ge-
nere venditas, quodque per aëra dispersum esse
asseris, praecise ad hunc pagum vel oppidum
adfligendum determinetur, vicinis aliis circumie-
ctis locis intactis ac illibatis? nam, hercle,
exhalationes quaeuis aut vapores, ob conti-
nuum aëris motum, diu in una eademque at-
mosphaerae plaga haerere nequeunt; & posita
communi ac generali caussa, effectus quoque
communis ac vniuersalis consequi deberet, ne-
que enim minus aut plus est in effectu, quam
fuit in caussa (per princ. Ontol.).

§. XVII.

Ast longe magis ridicula est illorum opi-
nio, qui ex Hungaria ac Sclauonia aliisque huic

Dia-

Diademati subiectis prouinciis, luem pecorum omnem, in alias Europae regiones, per eo adpulsas pecudes, propagari contendunt, neque enim concipi potest, quomodo animal peste infectum, tam diuturnum ac longinquum iter conficere possit. Quadrat profecto in huius sententiae Patronos illud VEGETII in praefat. L. IV. Solemnis, ait, excusatio negligentium est, dispendia ex dissimulatione (incuria) venientia DEO imputare vel casibus. Minus namque peccare se credit ignauia, si id, quod ipsius culpa accidit, ad potestatem incipiat deferre fortunae.

§. XVIII.

Neque vero haec eo intellecta velim, ut negem ullam unquam in aëre dispositionem ad producendam epidemicam brutorum animalium luem reperiri: dico solum, hoc uniuersaliter adfirmari non posse, & in specie de hoc casu, qui a nobis toto elapso triennio fuit obseruatus. Quemadmodum enim animalia rationalia, per certam aëris διαθεσιν, ad morbos epidemicos determinantur; ita αναλογιας naturalis consideratio suadet, idem pro hypothesi apud bruta quoque adsumi posse. Neutro vero in casu sola aëris constitutio, quantumuis λοιμώδη, per sese sufficiens esse videtur, ad propagandam pestem, nisi mutuum sani ac infecti corporis commercium seu contactus intercesserit: Vid. SYDENHAM de peste Ann. 1765 — 1766. Londini op. p. m. 132.

§. XIX.

§. XIX.

Γενησιν autem epidemiae, naturae confor-
ıi ratione, ſequenti modo fieri deprehendimus.
'onamus, in loco quodam ſiue ob rorem mel-
εum, ſiue ob aquationem putridam ac vermi-
oſam, ſiue ob aliam quamcunque extra aëra
tam cauſam, pecora aliquot febre corripi,
uius ſedes primaria ſit in humoribus lympha-
ico-ſeroſis, hi per tranſpirationem inſenſibi-
em in auras difflati, tam per reſpirationem,
uam vaſa inhalantia, alterius animalis corpus
ıbrepent, ſibique ſimilem humorum diſcraſiam
n eo producent, aut infecto per ſalivam mor-
idae pecudis pabulo, miaſma in omaſum
lterius deferetur, exin ad reliquos humores,
cque peſtis per contagium ſerpet. Fac porro,
odem loco & tempore, aërem quoque ſordi-
is vaporibus ac nebula ſcatere, indeque tran-
piratioem animalium cutaneam impediri. Vid.
MAZINI in epiſtola ad VALLISNERIVM ſcrip-
a, de praeſente epidemia boum ditionis Bri-
ianae 1711. conf. A. E. Supplem. V. p. 459.
acile animo comprehendes, huiusmodi luem
onge lateque graſſaturam; tolle vero diſpoſitio-
em atmoſphaerae, poſitis aliis cauſis, malum
unc arctioribus continebitur cancellis.

§. XX.

Rorem omnem e vaporibus atque exhala-
ionibus, globi noſtri terraquei, in atmoſphae-

 ram

ram eleuari, indeque in guttas condenſatum recidere, inter cordatiores Phyſicos, veritas eſt extra dubii aleam poſita. Itaque, quaecunque loca herbis venenatis, putridis paludibus, paſcuisque immenſa venenatorum, aut tabe diffluentium inſectorum, copia ſunt referta; illorum paſcua quoque rore venenato, putrido atque noxio fœdata erunt. Qualis enim terra, ſeu fundus, talis ros exinde exurgens. Nam qualis materia, tale materiatum (per princ. Ontol.). Succurrit memoriae, dum Ao. 1760. in inclyto Comitatu Zempliniensi Phyſicum ordinarium agerem, Illuſtriſſimum Dominum Baronem Döry mihi quadam occaſione recenſuiſſe, quod certa obſeruatione comperiſſet, in poſſeſſione Battyán, cum horis matutinis in campum exiiſſet, in haud ampla territorii plaga, quibusdam in herbis, ante ortum ſolis, tam venenatum viſcidumque fuiſſe rorem, ut actum, experimenti capiendi gratia, in ea loca pecus, herba illa deglutita, illico aegrotauerit, ac in faucibus inflammatione corriperetur, poſt ortum vero ſolis, difflato in auras, per radios ſolares rore illo noxio, iisdem in locis armentum inuiolatum pauiſſe.

§. XXI.

Quod vermium ac inſectorum colluuies, anſam, lui pecorum iugalium, praebere poſſit, tam meis, quam aliorum doctiſſimorum vi-

irorum accuratiſſimis animaduerſionibus vero
millimum redditur. Omnibus enim illis an-
is, quibus dira haec & oeconomiae tam ini-
nica peſtis, fertiliſſimum agrum Syrmienſem
lepopulabatur, immenſa erucarum ac aliorum
nſectorum multitudo fuit obſeruata; quamuis
romiſcue, amœniſſimam alioquin orae huius
abitationem, verna ac aeſtiua varii generis in-
ectorum agmina valde efficiunt incommodam.
uffragatur opinioni huic, inter alios, REAV-
MVRIVS in curatiſſima hiſtoria inſectorum Tom.
I. cap. 4. Ex his erucis, inquiens, plerae-
que urunt, urticarum more, nec attactae tan-
um cutem vitiant, ſed & e longinquo, Pha-
eoli pruriginoſi inſtar, ſua dimittunt ſpicula,
nde intolerabilis fere aeſtus illos, qui propio-
es facti ſunt, excruciat. Quantam his fidem
c pondus relationes Wratislavienſes in Ver-
uch XXIX. p. 285. concilient, cuique medi-
atione digniſſimam narrationem paulo atten-
ius penſitanti clare patebit. Porro iidem ſo-
ertiſſimi Auctores fidem faciunt, rorem mel-
eum vermiculos ac eiucas infinito numero pro-
duxiſſe, quibus inquinata eſca, inflammatio-
nem labiorum ac faucium, tormina ventris,
aluum ſolutam ac cruentam concitauit. Vid.
Breslauiſche Sammlungen Verſuch XXXVI. p.
705. ſeq. conf. Vers. I. p. 57. Quibus impul-
ſus, natalibus ac literis illuſtris Eques VALLIS-
NERIVS, utiliſſimas obſeruationes de conſtitu-

tione verminosa & epidemica, equos in Ducatu Mantuano & territorio Veneto infestante, itemque de lue bouina, & generatim de vermiculis pestilentialibus Opp. Physico-Medic. Tom. II. Tractatu I. edidit. Conuenit cum his saepe laudati MAZVCCHELLI relatio in Notitia practica, de Epidemico boum morbo Ann. 1735. grassante; caussam nempe ille mali pestiferi, & morbi, quo e corpore in corpus migret, modum, post plures plurium sententias in seminio quodam verminoso collocauit, quae antiquissima iam LVCRETII fuerit sententia, recentiorum quoque VALLISNERII, GOGROSSII, CORTIIque, magnorum per Italiam in arte virorum. Adiuncta his auctoritate Ephem. Nat. Cur. Cent. 1. Obs. 117. vix maior argumentorum cumulus, ad stabiliendam opinionis huius probabilitatem poterit accedere. Posita hac hypothesi omnium morbi phaenomenorum ratio nullo negotio reddi posset, tam scilicet eorum, quae in animali adhuc viuo, quam quae in cadaueribus sectis animaduersa sunt, ast ut id exequar, tum pagellarum breuitate prohibeor, tum superuacaneum etiam existimo, de re tam euidenti, cuius causam vel ipsa rudis plebs in ventrem reiiecerit, pluribus velle disserere.

§. XXII.

Cognita, hoc pacto, mali caussa, restat iam, ut quid de remediis eius sentiam, paucis

s indicem. Neque enim breui hoc temporis teruallo, sufficientia in hunc finem experimen- capere mihi licuit. Fundamentum namque ognitionis philosophicae, est cognitio histori- a, ergo & theoria medica ex experientia seu raxi erit deducenda (per princ. philos. uni- ersalis). Quantum itaque praemissis obserua- onibus, tanquam basi, solide superstrui po- est, in sequentibus expediam.

§. XXIII.

E §phis praecedentibus elucescit, dari on nunquam luem pecorum (ad quam clas- em hanc quoque, de qua modo agimus, referen- dam arbitror) cuius ratio sufficiens in corrup- o per verminosam colluuiem pabulo contine- ur. Prona igitur hinc consequentia elicitur, omni ope eo enitendum esse, quo noxia haec nsecta e medio tollantur. Nota vero plebis indole, ea etiam, quae in proprium eius commo- dum tendunt, non nisi coacta exequitur; ne- cessum hinc esset, auctoritate magistratuum, incolas locorum, inprimis ad extirpandas, tam arboribus, quam olerum plerisque generibus, exitiales, erucas compellere. Quod quidem initio veris vel alio quouis tempore, quo rami foliis viduati iam sunt, aptissime perfici posse putarim. Nec inutile foret truncum scapumue arboris vermibus obsessae, oleo terebinthinae, vel iuniperi, aut alio quocunque (olea etenim omnia

omnia vermibus veneno ſunt) ad trium vel 4. digitorum tranſuerſorum latitudinem, inungere, ut ſcilicet animalcula iſta a deſcenſu in terram ac paſcua arceantur, accommodatiſſimum tamen eſt remedium, igni ea comburere. Peſſima etiam illa conſuetudo penitus abolenda eſſet, qua folia caulium ab erucis aliisque vermibus haud repurgata, pecudibus pro pabulo obiiciuntur. Aduerti certe ego ipſe, haec tam brutis, quam hominibus ſaepe funeſta fuiſſe (§. XIV. n. 3.

§. XXIV.

Paſcua dein, rubigine aut rore (ſic dicto) melleo, reſperſa, ſollicite vitanda: nec fœnum putridum, vel quouis modo corruptum, crudum, iumentis offerendum. §. XX.

§. XXV.

Quod ſi vero pecus ex alterutra προφάσει iam infectum eſſet, anthelmintica ſeu vermes enecantia remedia, adhiberi oportere, tam hypotheſis noſtra, quam experientia fidiſſima rerum magiſtra ſuadet. Agunt enim illa 1. materiam putridam muccidamque deſtruendo & educendo. 2. Vermes necando ac expellendo. 3. Inertiam bilis (quae ſecto cadauere ut plurimum vitiata eſſe deprehenditur) corrigendo. (§. XV.) 4. Ventriculum debilem roborando. Praecipua vero eorum, quae commode apud

bruta

bruta adhiberi possunt, sequentia sunt, & quidem ex regno minerali Mercurialia, Antimonium Ger. Spießglas, Hung. Piskoltz, Slav. Sspißglas, ac sulphur in primis caballinum Hung. Lókenkö, Germ. Roßschwefel, Slav. Cžerna Sýrka. E vegetabili autem plura peti possunt, utpote Allium, cuius apud pecora cornuta, praestantissimam efficaciam ipsemet saepius expertus sum, Caepae, herba Absynthii, Hyperici Tsengö-fü, Johanneskraut, Cžerweny Zwonec, Tanaceti, Varadits fü, Rheinfarn, Wratyč, aliaeque amarae, adhaec Asa foetida, Oerdögszar, Assant, Cžertowe Lagno, Aloe epatica Kösönséges aloe, Leber-Aloe, Gatrowé bárwy aloe, it. Myrrha. Quae cum obuia sint, vario modo cum furfuribus misceri, ac pecudi propinari possunt aut debent.

§. XXVI.

Si animal fluxa ac cruenta aluo laboret, haud absone commendat iam laudatus D. LANGGVTH clysteris, ex decocto furfurum cum oleo lini, parati usum.

§. XXVII.

Si vero manifestis indiciis compertum haberetur, luem inter iumenta per contagium serpere, eo casu viscerum potissimum inflammationi obuiam eundum erit, quo scopo RAMAZZINI corti-

corticem chinae ſeu Peruuianum, qua ſecuriſſimum praeſidium celebrat, nec datur in rerum natura aliud remedium, quod animale corpus, contra gangraenam ac ſphacelum, efficacius tueri poſſit praeter Venaeſectionem. Tandem conſilio atque cautione VEGETII Libr. III, cap. 2. omnino utendum: Omni ſtudio, quae ſemel tentata fuerunt, ſegreganda ſunt, animalia, et ad ea loca mittenda, ubi nullum animal paſcitur, ne contagione ſua omnibus periculum generent, et negligentia domini, ſicut ſolet a ſtultis, diuinae imputetur offenſae. Haec de lue pecorum, ad mandatum Excelſi Conſilii Regii, chartae committenda cenſui.

§. XXVIII.

Miſſa iam cura, quam hactenus in conſeruationem brutorum animalium conuerteramus; agedum omni induſtria et ſollicitudine, in conſeruationem animalium rationalium, cogitationes noſtras intendamus, quae tanto illa erit praeſtantior, quanto haec illa antecellunt, praeſertim cum pleraeque febres epidemicae, iure meritoque minor ſaltim gradus verae peſtis dici mereantur, cum hac etiam non raro confundantur. Vt vero harum cauſae et effectus genuine intelligantur, quaedam de conſtitutione corporum ac diaetae incolarum, quae ad propoſitum noſtrum pertinere videbuntur, paucis attingenda eſſe exiſtimaui.

§. XXIX.

§. XXIX.

Natio haec temperamenti eſt potiſſimum ſanguineo-cholerici, (vt cum ſcholis loquar) facie fuſca, tetris oculis atque comis, magno corpore et ad impetum valido, laboris atque operum patientiſſimo. Marti potius quam Minervae dedita, hanc non niſi a limine ſalutat. Defectum artium mechanicarum commerciis ſupplent, inde crebra itinera ac corporis motus. Terra pinguis et absque fimo fertilis, ad ductum D. KüLBELI in Diſſert. de cauſa fertilitatis pag. 9. ſeq. examini chymico a me ſubiecta, aqua calida, adiuuante digeſtione, ac tandem ipſa decoctione, magnam copiam materiae terreo-ſalino-vnguinoſae largita eſt, ita, vt nil, niſi craſſior portio ſabuloſa, vlteriorem ſolutionem plane reſpuens, remaneret. Magma vnguinoſo-ſalino-terreum, quod poſt lenem lixiuiorum euaporationem, impetraueram, bruneo-rubicundi coloris erat, et, aqua rurſus ſolutum atque filtratum, colorem rubicundum elegantiorem debitamque pelluciditatem adquirebat, nec amplius terrei quidquam, licet iterata vice ſolueretur, ad fundum deponebat. Cuticula quoque ſalina, qualem ſalia lixiuioſa, ſub ſui euaporatione, formare ſolent, vltimo enata fuit. Extractum concentratum, deſtillatione per cucurbitam, primo phlegma ſaporis terrei, dein liquorem flaueſcentem empyreumaticum, transmiſit. Reliquum terra leuis, can-

dida erat, quae aqua elixiuiata, non nihil ſalis fixi, medii, nec cum acidis nec cum alcalinis, efferueſcentis, cum puluere carbonum, nitri ad inſtar, detonantis, adfuſo acido vitriolico, ſpiritum acidum, quo nitrum regenerari poterat, eructantis, exhibuit. Caput mortuum calcinatum niuem candidiſſimam aemulabatur. Notatu dignum erat, quod terra montana ſabuloſo-argillacea ſterilior, loco ſalis medii, acidum vitriolicae proſapiae, addito inflammabili verum ſulphur efformans, praebuerit. Cum igitur vina rubra, quae apud nos frequentiora ſunt, in huiusmodi potiſſimum ſolo procreentur, geneſin eorum ab hoc principio acido vitriolico praeualente, haud incongrue deriuari poſſe opinor; praeſertim cum color rubini, ſapor auſterus, ac vis adſtringens idem arguere videantur.

§. XXX.

Eſt alius quoque potus, genti huic ad abuſum vsque familiaris, qui lingua vernacula Sliuouicza adpellatur. Liquor eſt ſpirituoſus inflammabilis, e prunis maturis per fermentationem elicitus. Qui deſtillatione e cucurbita B. A. commiſſa, exploratus, primum alkohol, dein aquam copioſam, poſtea liquorem acidiuſculum, exin flaueſcentem empyreumaticam, porro oleoſum empyreumaticum, magma reſiduum vnguinoſo-mucilagineum, igni aperto

vſtum

vſtum ſal alkali affatim, tandem reliquiae calcinatae paucam terram albam, aqua penitus indiſſolubilem, prodiderunt. Maſſa initio deſtillationis vehementer ſpumeſcebat, et mucum ſubtiliſſimum in recipiens eructare conabatur, ideoque ignem moderatiſſimum requirebat. Ex his liquet, liquorem memoratum ex ſpiritu inflammabili, aqua, ſale acido vegetabili, materia vnguinoſo-mucilaginea ac terra primordiali compoſitum eſſe. Sal enim alkalinum omne, ignis, non naturae, progeniem eſſe conſtat. Potus itaque iſte, qui genti, adiectis cepis vel allio, ientaculum plerumque praebet, ſanguinem non tam valide exagitat, ac alii ſpirituoſi, praemiſſis principiis deſtituti. Reliquus cibus ritu religionis orientalis, cui maior nationis pars ſtrenue adhaeret, ab omni pinguedine animali, potiori anni parte, abhorret, leguminibus vero aceto et oleo conditis, tanto liberalius veſcuntur.

§. XXXI.

Siquidem qualitates aëris in ſenſus incurrentes, vt ſunt calor et frigus, humiditas et ſiccitas, grauitas ac leuitas, C. H. ad ſuſcipiendas febres ſporadicas ſeu intercurrentes determinant, ex hisque, coniunctis ſimul ſex rebus non naturalibus, ratio earum ſufficiens reddi queat; imo in ipſa epidemicorum exiſtentia, ac modificationibus, haec pro concauſis aſſumi

debe-

debeant (§. II. III.) nemo ab inſtituto noſtro aliena nos tractaſſe iudicabit, quod ſynopſin hanc delineationis tam terrae, quam incolarum, ephemeridibus hiſce, anniuerſario impoſterum labore, continuandis, praemiſerimus.

§. XXXII.

Anno epochae chriſtianae 1763. Calend. Maii has in oras delatus, cum nullum mortalium hic offenderim, qui, ante aduentum meum, viciſſitudinibus epidemicorum indagandis operam nauaſſet, hinc etiam dicendo non ſum, quisnam epidemicorum eo tempore hic loci praedominium obtinuerit, praeſertim cum ex hypotheſi Sydenhamiana (quam ſequi nobis quoque animus eſt) ille epidemicorum ceteris ſibi ſynchronis praedominari dicatur, qui circa aequinoctium autumnale, caput ſupra reliquos effert. Vid. Oper. pag. m. 49. Notandum praeterea erit in anteceſſum, febres intermittentes, hiſce in oris, in primis autem in confinio endemias eſſe, adeo vt nullus ſit annus, nulla conſtitutio, ubi penitus euaneſcerent, imo nullo non anni tempore incolas adoriuntur, hac ſolummodo cum differentia, quod nonnunquam peioris indolis eſſe obſeruentur ac latius graſſentur, alio vero tempore benignioris ſint genii ac intra anguſtiores limites ſeſe contineant.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Itaque vt filum narrationis perſequar, menſe Maio ante indicati anni, veſtigia quaedam pleuritidis atque anginae deprehendi. His ii potiſſimum corripiebantur, qui in linea prouinciali, eo tum per ruſticos ducta, in vilibus tuguriolis, male veſtiti excubabant. In hac enim regione frigus nocturnum a diurno pomeridiano ſaepe 12. 15. ac amplius, gradibus thermometri Florentini differre ſolet, vnde noctu male tectum corpus ſi diurno calori exponitur, iterumque inſequenti frigore alget, ſubitae talismodi caloris ac frigoris viciſſitudines corpora ad febres inflammatorias diſponere ſolent, quod iam ipſe graecus Magiſter monuit Aph. Sect. III. 11. *Περι δε των ὡραιων, ην μεν ὁ χειμων αυχμηρος και βορειος γενηται, το δε ἐαρ ἐπομβρον και νοτιον, αναγκη του θερεος πυρετους ὀξεις και ὀφθαλμιας, και δυσεντεριας γινεσθαι, μαλιστα τῃσι γυναιξι, και ἀνδρασιν τοισιν ὑγρας ἐχουσι τας φυσιας.* Praecedentibus enim menſibus Ianuario, Februario tempeſtas fuit aquilonia ac ſicca, dehinc Martio menſe auſtrina et pluuia, mox derepente in Aprili rigidiſſimum gelu cum maxima niuium copia incidit, quod ſub finem eiusdem menſis, aucta iam tum vi radiorum ſolis, confeſtim euanuit. Anginam huius temporis quod attinet, ea plerumque, cum euphoria extrorſum vertebatur, idque vel ſponte, vel

leui quocunque emolliente adhibito, ad mentem Coi Sect. VI. aph. 37. Ὑπο κυναγχης ἐχομενῳ οἰδημα γενεσθαι ἐν τῳ τραχηλῳ, ἀγαθον. Haec vero menſe Maio.

§. XXXIV.

Circa ſolſtitium aeſtiuum, febris ſic dicta ſemitertiana graecis ἡμιτριταιος intercurrit, eosque vtplurimum adorta eſt, qui aetate florentes lautiori diaetae ac vitae ſedentariae dediti, animum altioribus curis exercuere. Paroxyſmi eius quouis tertio die cum vomitu aluoque slarioſa inuaſere, aeſtus remiſit tantum, non intermiſit, quotidie etiam circa veſperam exacerbabatur. In febre hac animaduerſionem Baglivii Prax. p. 51. ratam eſſe comperi. Cortex enim Chinae per ineptos barbitonſores, quibus gens haec nimium eſt addicta, praepoſtere exhibitus, vel inflammationes lethales, vel febres lentas et hecticas induxit. Curatio per blanda laxantia diapnoica ac diuretica feliciſſime ſucceſſit. Nec V. S. niſi in eminenti plethora conueniebat. Cum hac pari paſſu febris tertiana, quae feruente Sirio typum duplicabat, vel initio continuabat, autumno ſuccedente vero in regulares tertianas quartanasue deſinebat, inceſſit. Appetente dehinc ſolſtitio brumali, febres intermittentes, vel receſſere, vel in febrem lymphatico-catarrhalem malignam degenerauerunt, poſterius coniectari tam affinitas febrium

inter-

ntermittentium cum lymphaticis intercedens, uam humida ac auſtrina conſtitutio menſis No- embris, magna cum veriſimilitudine me iubet. Memorata haec febris catarrhalis tantam edidit tragem, vt peſte eo tum vicinis in partibus urcicis ſaeuiente, promiſcue pro eius propagi- e haberetur, donec ego mandante Illuſtriſſimo Supremo Comite, eo tum qua Regio per Re- gnum Slauoniae ſanitatis Commiſſario, ad in- dagandam mali indolem, exmiſſus, iſthanc morbi ſpeciem eſſe detexiſſem. Inuadebat enim circa veſperum cum horrore, quem tam intenſa comitabatur cardialgia, vt aeger vel leniſſimum contactum in regione Scrobiculi cordis, ſum- mo cum tremore recuſaret, repentina ac extre- ma virium aderat proſtratio, cum pulſu celeri ac debili plerumque inaequali, malignis fami- liari, ſitis exigua, lingua ſcabra muco albo ob- ducta, affectus comatoſi, lumborum tenſiui do- lores, aluus crebrius fluxa quam adſtricta, uri- nae initio crudae limpidiſſimae ac paucae, ſe- dimentum circa diem quartum porraceum ex rufo albeſcens depoſuerunt, exanthemata, ob regimen minus calidum, paganis noſtris vſita- tum, plane nulla comparuere, niſi per errorem vel diaetae vel medicationis, cum tamen ge- nius morbi id ſecum ferre videbatur. Criſis morbi duobus vt plurimum ſeptenariis abſolue- batur. Emeticum tempeſtiue propinatum, ex hypecacuanna, chymicae ſupellectili iuncta,

apud

apud robuſtiores craſſiori ac inordinato victus generi deditos; aſt apud delicatiores, vel non identidem profuit, vel ad minimum non neceſſarium eſſe videbatur. V. S. (ſi caſus ſingulares exceperis) ſiue ab initio ſiue moderatiſſima manu celebrata, vires plerumque magis deiecit, ac niſi poſtea cardiacis obuiam itum fuiſſet, certum exitium adlatura. Memor itaque moniti Ill. Archiatrorum Praeſidis Baronis VAN SWIETEN in hecatombe dignorum Comm. §. 661. ſubitam hanc virium proſtrationem, a materie cauſtica, circa praecordia haerente, deriuaui. Vbi plethora V. S. indicabat emetico eam praemiſi, ita ſuadente immortali SYDENHAMO Op. pag. 65.

§. XXXV.

Surgente anno 1764, dicta febris, pedetentim receptui cecinit, atque morbillis intermittentibusque vernalibus ſceptrum conceſſit. Illi menſe Ianuario orti, circa aequinoctium ad *ἀκμήν* peruenere, at circa ſolſtitium aeſtiuum euanuerunt: his vero ad conſpectum arietis fugatis, variolae confluentes ingreſſae ſunt, quae nihil peculiare habuerunt, praeterquam quod in facie ſolummodo confluerent, ac ubi apud abiectiorem plebem ſine ope medica decurriſſent, vsque ad diſparitionem variolarum quidem feliciter, idque ob regimen inprimis aeſtiuum aurae liberiori expoſitum, dehinc autem cum ae-

tas

ıs puerilis conclauibus minus coërceretur, meıſtaſes poſtliminio plures, quam ipſe morbus, ıtho dederunt.

§. XXXVI.

Variolae iam commemoratae circa aequiıoctium autumnale culmen incrementi adeptae, ınpetum frigoris brumalis haud ſuſtinuerunt, ıb finemque in benignas abiere.

§. XXXVII.

Menſis Auguſtus nouum morbi genus proıuxit. Dyſenteria enim, quanquam fructus ıquibus eius geneſis perperam adtribui ſolet) ſat ıari fuerint: funera tamen haud vulgariter denıbat. Qua, adulto iam autumno, ſeneſcente, ıutumnales febres, denuo repueraſcebant, cum ıoc inſolito ſymptomate, quod diarrhoea maıori eas ex parte comitaretur, imo per eam ıunditus ſoluerentur. Ita ad finem vsque anni ıerſeuerarunt. Rationem erue e HIPP. Sect. II. aph. 16.

§. XXXVIII.

Ineunte anno 1765, cum tota ferme hyems ıluuioſa ac auſtrina fuiſſet, id euenit, quod ıCOVS iam olim praedixerat Sect. III. aph. 17. ıἹ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα, καὶ ὑγραίνουσι ıprout autumno tepente praeuio, ſenſu Aph. 13. ıSect. III. Ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βο-

C ρειον

ϱειον γενηται, το δε φθινοπωϱον ἐπομβϱον και νο-
τιον, κεφαλαλγιαι ες τον χειμωνα, καβηχες
και βϱαγχοι και κοϱυζαι: ἐνιοισι δε και φθισιες.
Pleuritides ergo et peripneumoniae, tuſſesque catarrhales mature laceſſere coeperunt incolas, quae vere inſequente in anginas ac parotidas terminabantur, ſicut ſuo iam aeuo Hippocrates eueniſſe teſtatur. Sect. III. aph. 23 et 20.

§. XXXIX.

Praecedente §. iam innuimus, autumnum integrum anni 1764, totamque hyemem ſubſequentem anni 1765 continuis imbribus, adeo maduiſſe, vt toto hoc tempore nullae apud nos niues conſtiterint. Vnde accidit, vt inſolitae plane exundationes aquarum, vsque ad autumnum anni 1765 fere continuo durauerint. Sub initium vero Auguſti aquae multum ſubſedere, neque incrementum earum ſemper eodem tenore proceſſit, ſed alternatim mox adcreuere mox iterum decreuere. Febres autumnales non prius adparuerunt, quam poſt primum vndarum lapſum, qui circiter medio menſe Iulio contigit. Quod mihi actutum perbellam D. PRINGLE obſeruationem in memoriam reuocauit, quod dum exundationes recedunt, ſtagna ac coenum poſt ſe relinquunt, ex quibus potiſſimum noxiae ſanitati exhalationes in auras attolluntur. Aqua enim pura eiusque vapores aërem nullatenus poſſunt contaminare.

§. XL.

§. XL.

Quamprimum igitur diluuies ista mense io decrescere coepisset, feruore solis ac aëre ieto, tam vegetabilia quam animalia in locis te inundatis putrescere debuerunt, vnde tan- tamque insolita variorum insectorum multitu- atmosphaeram occupauit, quantae annis aecedentibus, non facile quis meminerit, ae insecta pereuntia putridis rursum vapori- s aërem contaminarunt. Vnde febres inter- ittentes autumnales maturius solito ortae, men- ous subsequentibus, tam late grassabantur mque frequentes erant, vt, quamuis pancrea- ce valentem, intactum relinquerent neminem. rioribus quidem mensibus continuarum speciem ferentes, sensim in perfecte intermittentium dolem degenerarunt; mensibus vero Octobri Nouembri initio statim intermittentes se esse tebantur. In Augusto autem characteres omnes, nolerae morbi ad amussim expresserunt.

§. XLI.

Praecipua earum symptomata sequentia rant: inuaserant vnumquemque sine vlla aeta- im vel sexus differentia, idque cum horrore, ngenti cardialgia ac dolore sub scrobiculo cor- is, cephalalgia, nausea, cui e vestigio vomitus iridis atque atrae bilis causticae ac male olen-

tis, vehemens ſucceſſit, menſibus Auguſto et Septembri crebrae ac copioſae deiectiones aluinae bilioſae, lingua arida fiſſa, e flauo fuſca, ſitis intenſa, pulſus celer, ſed debilis, ſub initium inaequalis, repentina functionum omnium exſolutio, ſequenti aurora aeſtus nonnihil remiſit, poſtea in aliis tertianae continuae, in aliis duplicis, in aliis ſemitertianae, adoleſcente vero autumno primum quartanae continuae, dein plerumque duplicatae triplicataeue ſcenam luſit. Infantilem et puerilem aetatem, cum conuulſionibus vt plurimum funeſtis adgrediebatur. Adultioribus raro feralis, cum exulcerationibus labiorum, ac ſudoribus nocturnis tandem deceſſit. Ingruente ſolſtitio brumali, fugatae huic, febris continua, faſces eripuit. Pathologiam ac therapiam eius, in ephemeridibus anno 1766 pertractare conabor.



CONTINVATIO
EPHEMERIDVM
PHYSICO - MEDICARVM SYRMIENSIVM PRO ANNO EPOCHAE CHRISTIANAE 1766. CONCINNATA

AVCTORE

MARTINO MARIKOWSKY

N. H. MED. DOCT. I. COMITATVS SYRMIENSIS PHYS. ORD.

CONTINVATIO

EPHEMERIDVM PHYSICO - MEDICARVM SYRMIENSIVM, ANNI 1766.

§. XLII. Schol.

In Ephemeridibus anni prioris promiſeram me in ſequentibus, pathologicam quoque ac therapeuticam tractationem, febris illius intermittentis, quae eo tum per totam Sclavoniam epidemice graſſabatur, daturum: fidem modo exſoluere conabor. Enimuero, cum Duce Sydenhamo ac D. Pringle (Beobachtungen p. 225.) ſpecialiſſima morbi cuiuslibet pathologia, a therapia potius eiusdem, quam haec ab illa peti debeat; poſterior autem iuuantium ac laedentium obſeruatione, adeoque experientia immediate nitatur: ideo huic methodo inſiſtendum eſſe putaui.

C 4 §. XLIII.

§. XLIII. Definitio.

Morbus quilibet, ergo & hic, de quo agimus, considerari potest, vel indiuidualiter, id est, quatenus in indiuiduo A aut B inexistit: vel specifice, nempe quoad attributa seu determinationes constantes ac necessarias, quae indiuiduis omnibus communes sunt, adeoque a forma eius inseparabiles: medici signa pathognomica adpellant: vel denique generice, quatenus is nempe, cum aliis morbis, specie a se diuersis, conuenit.

§. XLIV. Corollarium.

Ex his consequitur, pathologiam quoque ac therapiam, cuiuslibet morbi, triplici hoc modo considerari posse.

§. XLV. Theorema.

Pathologiae ac therapiae specialis, principium cognoscendi est pathologia ac therapia indiuidualis.

Demonstr. Cum enim specierum omnium principium cognoscendi sint indiuidua (per princ. Log.) pathologia vero ac therapia specialis, ad indiuidualem se habeat, ut species ad indiuidua (per def.) Ergo verum est Q. E. D.

Schol. §. 42^{di} hoc sensu accipi velim.

§. XLVI.

§. XLVI. Theorema.

Therapia indiuidualis morbi, cuius pathologia specialis nondum est cognita, partim a posteriori per experimenta, partim a priori ex therapia & pathologia generali, erui debet.

Demonstr. Omnis enim therapia est cognitio causarum, morbum datum, tollentium (per def. therap.) adeoque cognitio philosophica (per huius def.) Ergo abstracta, abstracta vero vel sunt genera vel species, cum autem causae speciales, a quibus differentia morbi specifica dependet (per princ. Ontol.) incognitae esse ponantur (per hypoth.) sequitur eam ex causis generalibus peti debere, hae autem pathologiam ac therapiam generalem constituunt (per def. path. ac ther. gener.) atqui dum a genere ad singularia concludimus, id a priori fieri dicitur (per princ. Logic.) Ergo patet membrum theorematis alterum rite se habere: enimuero therapia indiuidualis inuoluit quoque notionem indiuidui, notiones indiuiduales autem ope sensuum adquiruntur, & constituunt experientiam (per def. exper.) experientia cum attentione facta vocatur experimentum, sed cognitio per sensus adquisita esse dicitur a posteriori (per def.) manifestum itaque est ad therapiam indiuidualem experimentum quoque necessario requiri, id est alterum theorematis membrum. Q. E. D.

Coroll. E contrario in morbis, quorum pathologia ſpecialis cognita eſt, ex hac therapia eorum ſpecifica deduci debet.

§. XLVII. Theorema.

In cognoſcenda noua morbi ſpecie, pathologia eius ſpecialis, e therapia deducitur ſpeciali.

Demonſtr. Cum enim therapia ſpecialis, morbi huius modi, e pluribus indiuidualibus, nec non e generali therapia deducatur (46.) conſequens eſt, cognitionem pathologiae ſpecialis hanc non praecedere, verum ſequi, adeoque ex hac deduci debere. Q. E. D.

Schol. Hoc modo Sydenham ac Pringle ex methodo medendi naturam morborum indagarunt. Ita prior in noua pleuritidis ſpecie anni 1675. e ſignis diagnoſticis obſeruauit pleuritidem adeſſe, unde ſecundum regulas therapiae generalis concluſit V. S. indicari, quum autem e therapia indiuiduali comperiſſet repetitam V. S. in hac obeſſe, formauit inde pathologiam eius ſpecialem, eam ſcilicet febris ſtationariae accidens eſſe. Vid. oper. p. m. 310.

§. XLVIII. Definitio.

Medicus rationalis eſt, qui medendi rationes tum a poſteriori tum a priori diſtincte deducit: empyricus vero dicitur, qui eas a poſteriori ſolum confuſe petit.

§. XLIX.

§. XLIX. Theorema.

Nec indiuidualis therapia, nec pathologia eius, eſſe poteſt mere empyrica.

Demonſtr. Pathologia enim ac therapia indiuidualis, generales regulas ad indiuidua adplicat (per def. & §. 46.) Ergo diſtinctam earum cognitionem ſupponit, ac a genere ad indiuidua, hoc eſt, a priori rationes ducit; at in empyrica contrarium fieri deprehendimus (§. 48.) euidens itaque eſt Q. E. D.

Coroll. Pathologia itaque ac therapia generalis, atque ſpecialis, omnibus indiuiduis ſub eodem genere vel ſpecie contentis, competit.

§. L. Problema.

Explicare pathologiam ac therapiam ſpecialem, febris epidemicae intermittentis, quae anno 1765. in Syrmio ac tota Sclauonia ſolito magis ſaeuiebat.

Reſolutio I. Detur hiſtorica deſcriptio morbi, nec non iuuantium ac laedentium.

1. In ephemeridibus anni ſuperioris, iam quaedam praelibauimus, maiori nimirum anni parte, inſolitas aquarum exundationes contigiſſe.

2. Circa ſolſtitium aeſtiuum, dum aquae decreviſſent, ac ſtagna reliquiſſent, quae ardore ſyrii exſiccabantur, in eisque magnam, tum vegetabilium, tum animalium copiam putredine

ne contabuiſſe, inſectis quoque annum hunc prae ceteris abundaſſe; febris haec ingreſſa eſt.

3. Menſibus calidioribus, ſub initium typum continuæ induebat, poſtea perfecte intermiſit, autumno adultiori ſtatim paroxyſmos intermittentes formabat.

4. Adpetente ſolſtitio hyberno, brumali frigore fugatae, febris continua ſucceſſit.

5. Dum intermitteret, paroxyſmos partim tertianae, partim quartanae, ſimplicis vel duplicis ludebat.

6. Menſe Auguſto cum cholera complicabatur, quo tempore nullam dyſenteriam obſeruauimus, licet fructus in copia adfuerint.

7. Inuaſit plerumque circa meridiem, cum horrore ac rigore notabili, & in quolibet paroxyſmo cum vomitu bilioſo enormi.

8. Capitis dolor & lumborum, inſignis virium proſtratio, pulſus celer ac debilis, amarities oris, lingua fuſca, ſed ſitis poſt vomitus non adeo intenſa, adpetitusque proſtratio atque in quibusdam dolores artuum, obſeruabantur, nec non adfectus ſoporoſi.

9. Aluus ut plurimum adſtricta: urinae initio paucae ac tenues, circa diem quartam turbabantur, ac ſedimentum lateritii coloris deponebant.

10. Sudores nocturni morbo ſuperato, per aliquod tempus, ſatis large manabant, odoremque alliaceum ſpargebant; adhaec labiorum exul-

exulcerationes morbo declinante, tantum non omnes diu defœdabant.

11. Haud difficile tamen fuit ei mederi, idque digeſtiuis ac emetico commodiſſime perficiebatur.

12. Venae ſectio menſibus aeſtiuis apud plethoricos profuit; autumnalibus vero morbum adeo prorogauit, ut is absque uſu corticis febrifugi depelli non potuerit, cuius ope menſibus prioribus, ubi V.S. adhibita non fuit, opus non erat.

13. Si omnia circa aegrum rite peragebantur, breuis durationis erat, & quarto plerumque paroxyſmo deſiit.

14. Nulli aetati pepercit, adultioribus tamen ac infantilem egreſſis, nunquam per ſe funeſta, niſi tabidis, infantes vero ſaepiſſime cum conuulſionibus adoriebatur, qui cum quouis paroxyſmo periodice recurrebant, apud tenellos potiſſimum fatali cum exitu.

II. Colligantur caſus, huic noſtro ſimiles, eorumque contraria:

a) Ex obſeruationum medicarum Scriptoribus conſtat, inſolitas aquarum exundationes, plerumque morbos epidemicos, excepiſſe; idque tum demum, cum aquae decreſcentes ſtagna putreſcentia poſt ſe reliquiſſent, conſequi ſolitum, quod inter reliquos Cel. PRINGLE l. c. adnotauit, alios citare ſuperuacaneum foret.

b) Cum

b) Cum morbis putridis ac biliosis summam affinitatem habere febrem hanc, e symptomatibus recensitis, in primis autem N. 6. clarum est.

c) Mox laudatus Auctor in lib. cit. pag. 348. & 417. experimentis euicit, bilem facile quidem putrescere, eius tamen putredinem non adeo tetram ac virulentam esse, ac solidiorum ac quarundam fluidarum C. H. partium: febres etiam intermittentes, cum vomitu flauae ac viridis bilis coniunctas, locis paludosis, qualem maiorem Syrmii partem esse in prioribus iam retulimus, quasi domesticas esse adseuerat. L. c. pag. 96. 206. 207.

d) In morbis ab acrimonia proficiscentibus, ut scorbuto, defluxionibus acribus &c. exulcerationes partium, obseruantur.

e) Tempore brumali ac vernali, huiusmodi febres, quales descripsimus, epidemice nunquam grassantur.

f) In locis etiam elatioribus atque siccioribus regionibus, a stagnantibus aquis liberis, quarumque incolæ munditiei communi industria student, similes morbi perraro, nec tam malimoris, eueniunt.

III. Ex resolutionis membro 1. & 2. patet dari hic tria cognita, nempe 1. Historiam morbi, cuius ratio quaeritur. 2. Alios casus, qui cum hoc nostro similes quasdam determinationes habent. 3. Ratio sufficiens similium

lium illarum determinationum, ex resol. membr. II. eruitur. E tribus his datis tertium i. e. hypothesis s. ratio totius casus, quaesita, elicitur syllogistice, sequenti modo:

1. Formetur propositio maior vniuersalis, e determinationibus similibus, quae inter utrumque datum casum similium intercedunt, idque assumatur pro subiecto seu medio termino: praedicatum vero sit datum 3. seu ratio harum determinationum.

2. In propositione minori particulari, subiectum sit, idea morbi, cuius ratio quaeritur, composita siue totalis: praedicatum autem pars huius notionis compositae, quam determinationes illae communes constituunt, quaeque pro medio termino syllogismi sunt adsumtae; unde emerget syllogismus fig. 1. in forma dArII, & conclusio erit hypothesis quaesita, verum particularis; hoc modo:

dA Omnium phænomenorum, resolutionis huius membr. II. recensitorum, ratio, in atmosphaera nostra, putridis exhalationibus ultra modum naturalem referta, bilemque C H praecipue corrumpente, continetur.

rI. Quaedam phænomena casus dati, sunt illis similia.

I. Ergo quorundam phænomenorum casus dati ratio in iisdem causis continetur.

IV.

IV. Cum hypothesis hoc modo inuenta rationem phænomenorum solum similium reddat, tentandum iam erit, utrum ex ea, aliorum quoque phænomenorum, cum casu dato coniunctorum, ratio reddi possit; quo itaque plura phænomena ex eadem possunt explicari, eo probabilior euadet hypothesis, & si omnia inde deduci queunt, probabilissima atque universalis ea reddetur: fiat autem periculum:

1. Primum quidem symptoma, nempe corruptio bilis prono alueo hinc deduci potest, posito enim fermento putredinis in atmosphæra, illud tam per vasa inhalantia, quam lege adhaesionis ore assumendis mixtum CH ingredietur. Cum autem in primis viis nullum offendere possit humorem, qui bile facilius putrescat (Ref. Membr. II. lit c.) hanc potissimum adficit ac inficit. Quod vero fermenta putredinis, specie inter se differant, a posteriori clare probatur, cum experiamur fermentum dysentericum dysenteriam, variolosum variolas, pestilentiale pestem, & quoduis aliud morbum specie sibi similem, ac resolutionem naturae suae proportionatam producere: unde non mirum, miasma quoddam, quod bilem corrumpit, mixtionem sanguinis destruere haud posse; licet rationem a priori distincte assignare nondum possimus.

a)

2. Critica etiam morbi huius, per euacuaionem bilis seu spontaneam seu artificialem, soutio, ex adsumta hypothesi sponte fluit.

3. Cur porro infantes, cum conuulsioniius sit adorsa, fel corruptum, adeoque acre, rimas vias irritans, satis indicat; non secus c vermes nec non aliam quamcunque acrimoiam eas infestantem, tenerae aetati conuulsioes inferre videmus.

4. Ad haec exulcerationes quoque labioım, febri huic familiares, ex hypothesi nora facile explicantur: dum enim volatilis acrinoniae biloisae pars, per os ac nares exspiraır cum aëre, directio utriusque viae, ad exeriorem labiorum partem concurrit, ideoque ctio eius in has partes maxima esse debet: raeterea accedit, quod internae faucium ac arium partes, muco quodam oblitae sunt, ui eas contra praeterfluentis exhalationis viilentiam protegit, cum e contrario partes laiorum exteriores siccae eo praesidio destituntur, eaque propter hae potius quam illae xulcerantur.

5. Sudores denique nocturni febre licet epulsa, aliquamdiu tamen manantes, inde rti esse videntur, quod miasma febrem proucens sanguini quoque misceri debuerit, cum ulla appareat ratio, cur illud, quod totum orpus ambit, ad partes solum biliarias deterninari debeat, cum autem alia sit crasis bisli,

alia ſanguinis, fermentum putrefaciens utram-que quidem reſoluit, ſed illam magis, quae actioni eius minus reſtitit (membr. II. lit. c.) proportionate tamen ſanguinem quoque ingreſ-ſum reſoluit, licet non eo gradu, quo in fe-bribus continuis malignis fieri conſueuit, ex reſolutione ſanguinis vero oritur ſudor, prae-ſertim peripheria corporis tepore lecti laxata ac calefacta, idque tam diu, donec reſoluen- illud miaſma e ſanguine penitus fuerit elimina-tum.

Hoc modo reliqua quoque ſymptomata in hiſtoria morbi recenſita, ex aſſumta hypo-theſi deducuntur; unde inferatur tandem: E quacunque hypotheſi vel omnia, vel ſalte[m] praecipua morbi ſymptomata explicari queun[t] illa eſt vera: atqui ex adſumta: Ergo. Q. E. I.

V. Inventa hoc pacto hypotheſi, forme[n]-tur conſectaria, quae, poſita ea, neceſſario qu[o]-que conſequi debent, quae ſi experientia ip[ſa] confirmarit, veritas hypotheſeos a priori etia[m] probabilior reddetur e. g.

Poſita hypotheſi noſtra digeſtiua ac eme[ti]-ca neceſſario adhibenda indicabantur, quae pr[o]-fuiſſe euentus ipſe docuit, unde hypotheſin a[d]-ſumtam veram eſſe a priori quoque oſtenſum e[ſt].

VI. Hypotheſis inuenta in ſpecies ſuas, [ſi] lubet, diſtinguatur e. g. in caſu noſtro, mi[aſ]-ma febrem ciens, bilemque putrefaciens a[ere] calidiori exiſtente longe erat virulentius, qu[am]

re-

rigerato aëre, imo intenſo frigore penitus
latum eſt. Omnis enim putrefactio ſecun-
n gradus caloris aëris variat (per exper.)
Coroll. Cum leges reſolutionis huius uni-
ſales ſint, eas, ad inueniendam phænomeni
uslibet phyſici probabilem rationem adhibe-
poſſe, nemo non videt.

ANNVS 1766. ſt. n.

§. LI. Exper.

1. Febrem epidemicam, quam praeceden-
§. pertractauimus, frigore brumali, quod
no hoc ſolito intenſius erat, adeoque putre-
ienti aëris diatheſi magis aduerſum, pror-
n extinctam fuiſſe, in antecedentibus iam
onuimus.

2. Ad obſeruandos frigoris gradus, vul-
re quidem, cum ſpiritu vini tincto, confe-
um, aſt ad Fahrenheitianum reductum ad-
oui thermometrum.

3. Dum thermometrum meum ad gradum
deſcendit, aqua glacie conſtringi incipiebat,
i itaque gr. 32. Fahrenheitiani aequipollet,
ſumma igitur graduum tum mei, dum dicti
ermometri, ad eum, quo aqua congelare
epit, ope regulae proportionum, erui, in
o $8^{\circ} = 5^{\circ}$ Fahrenheitiani. Initium com-
tationis in meo fit a $O^{\circ} = 37^{\circ}$ Fahrenh. hinc

ſurſum caloris, deorſum frigoris gradus compu
tantur. Hoc modo quoduis thermometrum
ad Fahrenheitianum reduci poſſe, euidens eſt.

4. Gelu maximum hoc anno apud nos i
cidit in diem 14 Ianuarii hor. 6tam a. m. A
eo tum fuit ſereniſſimus et ſumme tranquillu
ac non niſi 2. lineis a 30 pollicibus pedis rhe
adeoque maxima atmoſphaerae grauitate abfui
mercurius in tubo torricelliano. Spiritus vi
autem in thermometro Florentino, quod eo tu
prae manibus erat, ad 34° depreſſus eſt, q
20° Fahrenheitiani aequipollet, quod frigus i
colis huiatibus iam inſolitum eſſe videbatur.

5. Die 8. Ianuarii, danubius glacie
conſtrictus fuit, vt plauſtra currulia iam tu
ſuſtinere potuerit: quae tamen 9na Februa
penitus ſoluta eſt, nec poſtea notatu dignu
gelu niſi circa 20. huius experti ſumus, idq
per 6. fere dies, vnde ſenſim mox decreuit, m
adcreuit. Nives per totam hyemem copioſi
mae erant.

6. Venti potiſſimum orientales, me
Martio et Aprili praedominabantur: quantu
itaque Ianuarius ac Februarius humidi; tantu
illi frigidi atque ſicci erant. Vnde accidit,
ſolito minor inſectorum numerus obſeruaretu
neque fluuii niſi menſe Maio exundare coeper
Erucae tamen, licet arbores quam plurimae
vehementiam gelu exaruerint, haud inte
runt; minori autem copia quam praeteritis
nis comparuere.

7. Fri-

7. Frigus maximum quotidie deprehendi
e ſub auroram, aër vero poſt meridiem circa
ram 2dam calidiſſimus eſt. Differentia quo-
iana inter frigus et calorem maximum atmo-
haerae variat; hyeme tamen minorem eſſe
eri, quam vere: ibi enim minima 4°, maxi-
10°, hic vero minima 5°, maxima autem 18°
t, hoc tamen intelligendum eſt, quod euenit
otiori ac in thermometro meo, nam aliquan-
maiores minoresue differentiae obſeruantur.

8. Ad obſeruationes barometricas, uſus
n compoſitione BERNOULLI, cuius tubus
rizontalis eſt = 2′ 5½″ = 29½″ pedis No-
nb. in 12″ diuiſi. In Scala hac primo gradui
aximae ſcilicet mercurii adſcenſioni adſcriptus
numerus II. vnde initium numerandi peti-
r; vltimo autem ſeu imo eius deſcenſui re-
ondet gradus 95. ſunt itaque vniuerſim lineae
gradus 85. quorum 12mo cuique, notatu di-
iores aëris mutationes adiectae habentur: li-
ae 13 = 4½″ Nor. adeoque 1‴ = ⅓ poll.
or. min. $\frac{1}{13}$.

9. Ephemerides vero meteorologicas, mo-
to magni BOERHAAVE incitatus Chem.
om. I. p. 368. praeeunte Nic. KRVQVIO,
Calend. Iani huius anni elaborandas ſuſcepi.

§. LII.

Menſe Ianuario anni 1766 peripneumonia
era longe lateque ſtragem edebat: Speciatim

vero in vico quodam Dominii Illok Erdövé dicto, tam vehementer graſſabatur, vt tre quatuorue vno die interimeret. Incolae huiu pagi lignationem paulo remotiorem habent, ſp ritu prunorum autem rigidiſſimo gelu, ſub au roram, dum pro lignis aduehendis exiuiſſent maiori copia hauſto, ſanguini diatheſin phlog ſticam conciliarunt, dehinc ob egeſtatem co pus male veſtitum frigori intenſiſſimo expo tum, febre inflammatoria omnino corripi nece ſum fuit.

§. LIII.

Symptomata autem morbi ſic ſe habeban corripiebantur aegri ſub initium horrore ac gore non exiguo, ſubſequente dein aeſtu, ca tis dolore vehementi excruciati mox delirabar reſpiratio difficilis cum ſenſu oneris premen in pectore, tuſſis primum ſicca, circa die quartum ſputum cruentum exturbabat, qu pathognomonicum peripneumoniae verae ſignu conſtituit. Initio mali 6tus ab inuaſione die in progreſſu vero 9nus vt plurimum fatalis fu Aluus initio adſtricta in declinatione morbi ſ uebatur: ſummaque virium aderat proſtrat Curatio eius V. S. praemiſſa vel pro re na etiam repetita, ſubiunctis debito tempore luentibus bechicis, tandemque tonicis, felici abſoluebatur.

§. LIV.

§. LIV.

PROBLEMA.

Inuenire rationem probabilem, quae brumali tempore, inflammationem, ad pulmones praecise determinat.

Resol. Experientia constat, corpori calenti nimium frigus repente admissum, partes eius arctiori cohaesione vnire, adeoque fluxui fluidorum resistere: ex anatomia vero C. H. patet, extremos arteriae pulmonalis ramos, vesiculas tracheae vltimas vario flexu perreptare. Vid. WINSLOW Exp. anat. Tom. IV. p. 1. §. 153 et 154. tract. de pect. Sanguine itaque excalefacto, aër valde frigidus per ramos bronchiales penetrans, in vasis sanguiferis eos cingentibus, stasin inflammatoriam omnino producere debet. Q. E. I.

§. LV.

Durabat haec constitutio maiori totius mensis Februarii parte, cuius initium ob ventos orientales serenum erat, adeoque tepida aura, vt die eius 9na iam glacies in danubio penitus fuerit soluta, sub medium vero occidentales pluuiam, quam Or. rursus dispulere, tandem sub finem aquilo niues fudere.

§. LVI.

Martio dein insequente, ac aequinoctio verno adpropinquante, morbus hic penitus

euanuit, siue in tussim febri iunctam quam catarrhalem benignam alii adpellant, est mutata, quae laxantibus per epicrasin, expectorantibus iunctis, nullo negotio expugnabatur. Cum enim venti orientales, maximam partem huius mensis praedominium obtinerent, indeque aura fuerit sicca; vires catarrhorum per eos infringebantur: quamquam boreas et zephyrus calcar quandoque addere eis viderentur. HIPP. Sect. III. aphor. 5. Ἠν δὲ βορεῖον ἦ βῆχες, φάρυγγες κ. τ. λ. Medio autem mense austri flabant, qui 24. die primum hoc anno tonitru excitarunt.

§. LVII.

Circa aequinoctium vernum in parte prouinciali febres solum intermittentes sparsim visebantur, quotidianae nempe ac tertianae, quae tam mitis erant indolis, vt ferme absque vlla ope medica sponte cederent, ac sole cancrum ingresso penitus recederent. At in confinio inprimis circa Brood variolae quoque regulares comparuere, quas cum non tractauerim, de iis quod dicam, nil habeo.

§. LVIII.

Mense Aprili aura potissimum austro-orientalis flabat, quae serenam ac subfrigidam tempestatem attulit. Noctes praecipue tam gelidae erant, vt differentia inter frigus aurorae, ac maximum diei calorem vt plurimum 15. 16.

ac

ac 17° adeoque hoc menſe maxima fuerit. Vnde euenit, vt tuſſis, cuius in praecedentibus mentionem fecimus, in pleuritidem conuerteretur, qua ii vel maxime corripiebantur, qui agreſti labore feſſi, corpus aurae liberiori, recreandum expoſuerunt.

§. LIX.

Pleuritis haec ad ſolſtitium vsque aeſtiuum excurrit, quo aduentante ſenſim ſeſe proripuit. In hac febre inflammatoria V. S. reiteratam, in latere adfecto, ac veſicantia loco dolenti adplicata, interne autem oxymel ſquilliticum, praeſtantiſſimam opem adtuliſſe deprehendi.

§. LX.

Maio menſe venti aquilo-occidentales ac auſtro-orientales aëra refrigerabant: differentia tamen inter frigus nocturnum ac calorem diurnum minor fuit, quam menſe priori. Die 13 grando vncialis e plaga mundi N. V. orta, ad diſtantiam $\frac{1}{2}$ milliaris Vukovarino, altilia quam plurima ac ſegetes contriuit. Morbi vero aequinoctiales iam remittere coeperunt. Noua interim morbi ſpecies, ſcilicet auditus grauitas, cum ſuſurro continuo, ſed ſine febre ſparſim quosdam inuaſit, quae aegritudo ad aliquot ſeptimanas durans tandem plerumque diarrhoea ſoluebatur, quod ipſum ipſe iam Cous animaduertit Sect. IV. aph. 28. Και ὁκοσοισι κωφωσις, χολωδεων γινομενων παυεται.

§. LXI.

Per decurſum integri menſis Iunii conſtitutio aurae aquilo-occidentalis, adeoque ſubgelida fuit. Diei eius 25tae frigus nocturnum, aequale fuit meridiano diei 4tae Martii. Differentia caloris nocturni ac diurni hoc menſe frequentius ſuperabat differentiam priori menſe obſeruatam, fuit enim maxima 17° et vltra. Tempeſtas diei 20mae aëra gradibus 15 thermometri florent. refrigerauit, quo die, vt et 14tae huius menſis tam vehemens turbo ortus eſt, vt arbores radicitus euulſerit. Periculoſiſſimae tempeſtates a plaga occidentali euenire ſolent.

§. LXII.

Notatu dignum eſt, quod febres intermittentes, quae a longo tempore, in primis propter intempeſtiue adhibitam phlebotomiam, aegros hucusque adflixerant, propinato nunc cortice in continuas mutatae ſint, idque cum pulſu fortiſſimo, quae ſi accurate tractatae, duobus ſeptenariis critice ſoluerentur, intermitten[s] amplius non rediit; adhibita vero phlebotomi[a] continua denuo in intermittentem conuerſa eſt maioresque quam ante radices egit. Sanguinem in intermittentibus his miſſum, cruſta alba denſiſſima ſemper tegit. Fluuii hoc menſe exundare coeperunt.

§. LXIII.

§. LXIII.

Constitutio aëris, mense Iulio, maiori ex parte austro-occidentalis erat; circa finem vero SO. Vnde euenit, vt et tempestates essent atroces ac frequentes, et calor in aprico, die 12. ad 72° thermometri Fahrenheitiani adscenderit, quo ipso ratiocinium meum a priori erutum §. VII. anni 1763, experientia etiam a posteriori, confirmatum est: quanquam regula haec non possit esse vniuersalis, cum nemo nesciat, aliam aestatem alia esse calidiorem vel temperatiorem. Attendi praeterea ad proportionem caloris in aprico, ad calorem in vmbra, quae plerumque fuit vt 4: 5. inuerse; nec id quidem constanter. Flumina exundarunt quidem integro hoc mense, minus tamen quam anno superiore: insecta quoque pauciora visebantur; nec de lue pecorum quidquam audiebatur.

§. LXIV.

Quod vero ad historiam morborum adtinet: variolae quidem benignae sparsim oberrabant. Ast febris illa intermittens biliosa, cuius in ephemeridibus anni prioris, mentionem fecimus, mitior quidem, ac similibus cum symptomatis, circa medium mensis huius, recruduit, pauciores itidem, quam anno praecedente, inuasit. Cum febris huius tam pathologicam, quam therapeuticam tractationem in praecedentibus iam dederimus, de his nil attinet pluri-

pluribus differere. Iuuabit tamen hac occasione, in effectus fructuum, quos in C. H. edunt, paucis inquirere.

§. LXV.

PROBLEMA.

De effectis fructuum in corpore humano explicare.

Resol. Exper. 1. Magnus BOERHAAVE in Chem. Tom. II. pag. m. 157 et seqq. fidem facit, vegetabilia quaecunque fermentationi apta, adeoque et fructus omnis generis, in ventriculo fermentare. Vid. Chem. tom. II. pag. 166. indeque enasci Gas illud Helmontii, quod vehementissima vi sua elastica, ventriculum ac intestina nimium distendit, hinc flatulentiam parit.

2. Dein obseruatum compertumque est, vegetabilia fermentationem nondum passa, ad eam tamen apta nata, virtute fibras relaxante, saponaceo-resoluente, refrigerante et purgante; post peractam vero fermentationem, roborante, cogente humores, exsiccante atque calefaciente gaudere.

3. Celeb. PRINGLE hoc ipsum quoque confirmat, praeterea, fructus recidiuas produxisse in febribus adseuerat. Vid. Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, pag. m. 234.

4. Ego

4. Ego ipſe expertus teſtor, contra incommoda ab eſu fructuum, vel potu liquorum non fermentatorum orta, nullum praeſentius dari antidoton, quam ſpiritum per eam ipſam fermentationem progenitum, ventriculumque longe facilius concoquere fructus, ante, quam poſt ingeſtos alterius generis cibos; vnde liquet, vehementer errare illos, qui diſtento iam poſt prandium animalibus eſcis ventriculo, fructus dehinc liberalius ingerunt. Fermentatum enim ſuper non fermentatum adſumere concoctioni conducit, aſt non viceuerſa. Vid. BOERH. Chem. Tom. II. pag. m. 159.

5. Inprimis peponum ac melonum genera, ſi poſt eorum eſum, potus ſpirituoſus hauriatur, diureſin valide cient.

6. Laudatus PRINGLE aduertit, fructus in locis paludoſis ac aëre coenoſo, ad febres et diarrhoeam corpora humana diſponere, dyſenteriam vero huic cauſae perperam adſcribi: notum praeterea eſt, ventriculum debilem eos difficilius ferre, quam robuſtum. Vid. l. c. pag. 100 et ſeqq.

His datis concludimus a) Gas illud Silueſtre Helmontii, quod in vegetabilibus fermentabilibus hoſpitatur, qua ſubtiliſſimum, penetrantiſſimum atque ſumme elaſticum ſpiritum, minima etiam vaſcula permeare, eaque, niſi proportionate reſiſtant, vltra dimetrum naturalem diſtendere, aucta hoc pacto diametro vaſis maioris,

ris, lateralium, ac vicinorum contiguorum minorum diametros comprimi adeoque minui necesse est, cum autem transpiratio peripherica per huius modi canales procedat (per princ. physiol.) patet hinc eam imminui debere, adde his aërem coenosum, eo magis impedietur, impedita vero transpiratione aestate quidem febres putridas, alias alio tempore producere monet Sanctor. Med. Stat. Sect. II. aph. VIII. Accedit his, quod motus sanguinis progressiuus fiat directione axi canalis conici parallela, vis autem elastica canalem distendens, ob resistentiam sphaericam agat secundum omnes directiones radiorum sphaerae, a centro versus peripheriam (per princ. phys.) manifestum est hanc illi aduersam esse, adeoque illam impedire, imminuta celeritate motus progressiui perspiratio quoque imminuitur (per physiol.) si parcior est perspiratio, oritur putredo, febris etc. Conf. Boerhaave Inst. Med. §. 778.

b) Gas isthoc Siluestre in massa quauis fermentescibili coniunctum est cum spiritu illo, quem fermentatitium adpellant, (per exper.) ergo datur inter haec duo corpora vis ad accessum mutuum (per phys.) sed vis elastica consistit, in recessu elementorum corporis a se inuicem, ergo haec vis illi contraria directione agit (per defin.) hausto igitur spiritu fermentatione producto, post adsumtam massam fermentescibilem, Gas Siluestre, vi elasticitati suae contraria, vrgetur, ad cohae-

cohaesionem cum spiritu fermentatione producto, adeoque vis eius elastica ac fermentatio impediuntur, elucet iam hinc, quomodo spirituosi potus incommoda ab esu fructuum orta, tollant. Q. E. I.

c) Homines autem, qui tono viscerum integro gaudent, adminiculo potus spirituosi haud egent, cum tonus naturalis ventriculi ac intestinorum sufficiens sit, ad resistendum expansioni massae fermentescibilis in eis concentae, vnde tales fructus facile ferunt. Videmus etiam in vegetioribus, non tanta copia flatus ἄνω καὶ κάτω prorumpere quam in debilioribus, atqui tantundem aëris continent eorum alimenta, quam debiliorum (per sens. comm.) quo ergo deuenit aër e cibis et potu euolutus? per ructus et anum non exit omnis (per hypoth. et exper.) ergo per vasa lactea cum chylo ad sanguinem defertur, alia enim via e primis viis exeundi ei non patet, datur itaque in sanguine aër, idque plus in robustis, quam in debilibus. Vbi namque tonus ventriculi fortior est, ibi fortior quoque erit contractio eius, adeoque actio in alimenta (per physiol.) ergo moleculae aëreae intimius vnientur cum chylo, adeo vt per attractionem vasorum capillarium, tunicae intestinorum villosae, ab eo separari amplius nequeant, sed cum eo, vasa bibula subire cogantur, quod in debilioribus contrario modo euenire necesse est. Actio haec ventriculi in alimen-

alimenta, ope aëris, exemplo experimenti, machinae Papinianae, luculenter et comprobatur et illuftratur.

Confect. Flatulentia oritur, quando cohaefio globulorum aëreorum cum chylo, minor eft cohaefione reliquarum partium chyli inter fe.

§. LXVI.

Quaeritur iam, num aër in fanguine contentus corporis animalis viui elafticus fit nec ne?

℞. Nullis experimentis phyficis euincitur, globulum quemuis aëris feorfim fpectatum elafticum effe, bene vero plures fimul fumtos. Ponamus itaque moleculas aëreas, maffae fanguineae ita effe mixtas, vt fefe haud contingant, tum aër in fanguine non erit elafticus; pofito vero quod fe mutuo contingant, vtique elafticus erit. Prius videtur obtinere in ftatu naturali, pofterius in praeternaturali. Experientia enim docet, corpora imbecillia, mutationes atmofphaerae fentire, ea etenim grauiore, melius habent, contra, leuiore reddita, externus namque aër grauior fortius refiftit aëri interno in fanguine expandere fefe nitenti, leuior vero minus (per phyf.) vnde canales vltra diametrum naturalem diftenduntur atque motus fanguinis progreffiuus retardatur (per phyfiol.) Ergo et fecretiones ect excretiones vniuerfim confideratae. Accedit quod

uod retardato motu ſanguinis progreſſiuo inte-
tinus augeatur (per phyſiol.) adeoque partes
anguinis conſtitutiuae homogeneae ad ſe inui-
em accedunt; ergo et aëreae, hinc elaſticitas
iusque confectaria, ex quacunque cauſa mo-
um progreſſiuum impediente, oriri poſſunt.
Quemadmodum itaque debilis primarum via-
um tonus, aërem non debito modo vnit cum
chylo; ita debilis motus ſanguinis progreſſiuus
eundem haud exacte miſcere poteſt latici purpu-
reo. Q. E. I.

§. LXVII.
SCHOLION.

Nequis autem putet, me in praecedente problemate, fermentationem cum digeſtione ciborum in ventriculo confundere, quae tamen diſtincta eſſe e phyſiologia notum eſt. Aduertendum itaque eſt, me cum Cel. BOERHAAVE ita ſentire, qui Chem. tom. II. pag. m. 166. proc. 42. „In ſola, inquit, officina chylopoieſios prima animalium, fermentabili cibo potuque ſuſtentantium vitam ſuam, haec (ſcil. fermentatio) inchoari quidem, mox vero abrumpi penitus, videbitur, in paucis tantum morbis forte vlterius paululum producta, vsque per inteſtinorum fiſtulam.„ Haec ſunt verba Auctoris. Vnde clare patet, in ſtatu ſano, fermentationem primam ſeu vinoſam, nunquam deduci ad ſecundam ſeu acetoſam, quae ſi ſubſequatur, iam erit ſtatus praeternaturalis: hinc ratiocinium ſequens emergit:

Vbicunque adeſt fermentatio ſecunda ſeu acetoſa, ibi primam ſeu vinoſam praeuie abſolutam eſſe, neceſſe eſt. Conf. cit. tom. II. pag. 180.

Atqui in ſubiectis quibusdam experimur ex alimentis fermentabilibus, acidum in primis viis generari, quod ructus acidi abunde comprobant. Ergo in ſubiectis quibusdam fermentatio vinoſa, in primis viis penitus abſoluitur. Q. E. D.

Coroll. Gas illud Silueſtre, maiori copia euoluitur in officina chylopoietica, in ſtatu praeternaturali, quam in naturali ſeu ſano.

§. LXVIII.

Auguſtus menſis aura vtplurimum NO., interdum orientali perflabatur: ideoque ſerenitas crebris imbribus interrumpebatur. Quibus ortis, thermometrum Fahrenheitianum 46° vel 49° monſtrabat, licet paucis ante tempeſtatem horis 70°, vel 72° oſtenderet, vnde adparet, quantopere tempeſtates aëra refrigerent. Sub auroram inter 41° et 44° continebatur, hora autem tertia pomeridiana coelo ſereno ac in aprico 66° vel ad ſummum 72°, vt iam ſupra innuimus attingebat. Qua occaſione, proportionem caloris in vmbra, aëre libero, ad calorem in aprico ſeu radiis ſolaribus eodem tempore, repetitis obſeruationibus, determinare geſtiens, tandem deprehendi, eam quidem variare, a potiori tamen illum ad hunc ſe habere in ratione directa vt 4: 5.

§. LXIX.

§. LXIX.

Hoc mense, febris illa intermittens, cuius superioribus mentionem fecimus, quamque rca ingressum solis in cancrum ortam esse re-limus, frequentior reddita est, ac primis die-ıs remisit quidem, sed non penitus intermisit, ormi vomitu comitata. Nonnulli diarrhoea ıe febre atque sine deiectionibus sanguineis, at t diu pertinaciter adfligebantur.

§. LXX.

Febris huius, notatu haud indignum ex-nplum mense isto, in me ipso expertus sum. odem enim mense ac die, imo eadem hora, mpe 4ta Augusti hora 2da post meridiem, ıa anno superiore me inuaserat; hoc quoque nno ea correptus sum. Symptomata quoque milia erant ac aequalis, nimirum trium paro-ysmorum, duratio. Eadem quoque curatio-e fugata est. Πϱοφασει eadem nata scilicet ad-ctu animi sub prandio vehementiore. Profe-to adfectus animi concitatiores ac taedio iun-ti, licet semper noxii sint; in primis tamen b pastu sunt fugiendi, namque

Felix, quem faciunt, aliena pericula cautum:
tu vero experto crede Ruperto.

similem huic casum refert IOH. IVNKERVS therap. Spec. p. 673.

§. LXXI.

Quantus sit inter hanc, ac febrem, sic di-tam malignam, nexus, quamque auspicatus t usus corticis Peruuiani, nec non radicis ser-

pentariae virginianae in eadem, et quam belle concinant veritati ea, quae Cel. Archiater Ant. de Haen in Rat. Med. part. III. pag. 36 seqq. tradidit, quamvis pluribus possem, vno solum insigniori casu confirmabo. En historiam eius! Vir quidam alienigena, natione alemannus, 36 circiter annorum, temperamenti, quod veteres scholae sanguineo-cholericum vocant, diaetae lautiori ac spirituosae adsuetus, hinc a pluribus iam annis haemorrhoidarius, sub medium mensis Iulii, intermittente hac, de qua agimus febre, corripitur; quam flocci pendens, ab inepto quodam barbitonsore, praemissa V. S. catharticum sumsit, dehinc in horto quodam super recenti strue cespititia meridiauit, euigilans mox inhorruit, febrisque e perfecte antea intermittente, in continuam remittentem, cum quotidiana post meridiem exacerbatione transiuit. Ego aduocatus, statim eo consilium direxi, vt per salia enixa atque enema, febris ad intermissionem reducatur: praesertim cum tormina ventris cum obstructione aegrum adfligerent. Ast frustra! Patiens enim impatiens morae, ab alio non minus inopportuno balneatore aut blaterone, nouum emeticum e tartaro inopportuue efflagitauit, eodemque die post meridiem, vehementius vrgente febrili aestu, nimiam quantitatem gelidae hausit, sudorem erupturum reiectis tegumentis repressit, vnde sub noctem pulsus concidit seu subsedit, id est debilissimus ac frequens est redditus, deliria ac-

ces-

cessere continua, ast ob summam virium ac repentinam exsolutionem haud ferocia; ego denuo accersitus ilico aduerti febrem ob rationes iam recensitas, malignam induisse indolem, ideoque extemplo propinaui mixturam a D. PRINGLE libr. cit. p. 302. commendatam. Die sequenti omnia exacerbabantur, deliria erant continua, vox languidissima, tunica oculi albuginea striis sanguineis suffusa, itaque vesicatoria adhibui, suris adplicanda, die sexto, tremor artuum ac musculorum totius fere peripheriae corporis accessit. Aluus erat adstricta, vrina sanorum similis, pauca tamen ac tenuis, lingua albo muco obducta, sitis non adeo intensa, quae omnia vsque ad diem 9num sine intermissione durabant, quo vero adpetente omnia in deterius ruebant, subsultus tendinum, torui fulgidique oculi, vox concitata sed debilis ac inarticulata emotionem mentis prodens, agrypnia perpetua, sensatio turbata externorum quoque organorum, frigus extremorum tremulusque artuum praesertim manuum ac linguae motus, hanc nec exserere ore poterat, adductis genibus cubabat supinus, pectus saepe denudare conabatur, at aluus non soluebatur. Symptomata enarrata ad diem vsque 14tum persistebant, quo ingruente, animam agere videbatur, post mediam vero noctem, leni madore toto corpore persusus, (qui antecedentibus quoque diebus non nunquam prorumpebat) obdormiuit, dein expergefactus ad mentem saniorem

 rediit,

rediit, escamque petiit, de difficili auditu ac otalgia conquerebatur, reliqua symptomata cessarunt, vrina tamen non turbabatur, vnde conieci metastasin mali ad encephalon factam esse; prout iam laudatus PRINGLE obseruarat vid. l. c. pag. 287 seqq. et 310. quod ipsa quoque experientia confirmauit. Die enim 15to, per nares ac aures, materies foetida, ichorosa manare coepit, indeque melius habuit. Vrgente interim nimio adpetitu, ventriculum vltra modum onerauit, mox die 16to post meridiem corpore toto inhorruit, quod aestus continuus excepit, reliquaque ante recensita accidentia. Ab hoc die delirare coepit denuo ac indesinenter; procliue iam erat hariolari, morbum ad tertium vsque septenarium duraturum, quare mixturam ante laudatam sollicite adursi sumendam, quae nimium deiectas vires efficacissime restaurabat, ac die mali 20mo iterum oborto vniuersali madore post captum placidum somnum, ad vsum mentis rectiorem rediit, multumque leuaminis sensit. Dehinc vires cotidie restituebantur, tam oborto adpetitu quam continuata mixtura priori; 26to biliosa cum euphoria deiecit, tinnitus aurium, difficultas auditus longo tempore perseuerabant, ichor continuo ex aure sinistra fluebat, tandem sponte cessauit, de debilitate capitis diutissime conquerebatur. Quia autem vino abstinebat, cibis vero liberalius indulsit, orta inde est febris tertiana, quae tamen laudatae iam mixturae facile cessit, aegerque belle conualuit. SCHO-

SCHOLION.

Ex his nemo non videt, magnam quidem aegrorum partem, inobedientia erga medentes, maiorem vero ignorantia chirurgorum vel potius barbitonforum, qui hac in regione medicos egere volunt, perire; qui abufus licet faepius dictis regiis fuerit interdictus, inueterata tamen confuetudo, barbaraque gentis infcitia obftitere, quo minus contrarius vfus vndequaque introduci potuerit.

§. LXXII.

Initium menfis Septembris, tanto adhuc feruore aeftuabat, ut die eius 6.ta calor in aprico 72° thermometri Fahrenheitiani aequaret, idque fuit hora 3.tia pomeridiana, eodem vero die fub auroram $42\frac{4}{5}$°. Enimuero vltimus hicce impetus aeftatis fuit, neque enim poftea ad eum gradum amplius intenfus eft. Maxima hoc menfe, caloris ante & pomeridiani differentia plerumque 30°, die vero 25ta 32° erat; cœlum eo tum fuit fereniffimum: minima autem obferuabatur die 15.ta = 3°, cœlo nubilo ac vento NNO flante. Tempeftates binae accidere, altera NO. triplex die 3tia, altera vehementior NV die 30ma. Aura maiorem partem orientalis fpirabat, quae fudum continuum fere genuit. Aquae decrevere.

§. LXXIII.

Si ex hypothefi Sydenhamiana, morbus ille, qui circa aequinoctium autumnale dominum in reliquos obtinet, totius anni conftitu-

tioni nomen impertit suum Vid. Oper. pag. 49. tum annus hic, tum praecedens, epidemiae febrilis biliosae intermittentis titulo notandus erit; quanquam ea hoc anno benignioris fuerit indolis quam praecedenti, ut iam in superioribus innuimus.

§. LXXIV.

Mensis October, principio ventos O. medio NV. sub finem vero S. adtulit: unde primi ac ultimi serenitatem; medii variam genuere tempestatem, validiusque spirabant. Calor maximus in aprico die 9. erat 63° ther. Fahr. quo etiam triplex saeua tempestas fuit exorta, quum barometrum meum horizontale ad 54° decidisset. Maxima caloris pomeridiani in aprico, ac matutini differentia fuit die 5. 25° eiusdem thermometri: minima vero die 25 cœlo nubilo 3°. Prima pruina ac glacies incidit in diem 13. sudo tranquilloque cœlo, cum thermometrum Fahr. sub auroram 31° monstrasset. Vltimo adhuc huius die thermometrum radiis solaribus aperte expositum 62° notabat, aura serena ex S. flante.

§. LXXV.

Quoad morbos epidemicos, nil aliud notatu dignum euenit, praeterquam quod quartana, ante anomala, nunc iam regularem typum induerit, ac ad primae pruinae conspectum, pedetentim receptui canere cœperit.

§. LXXVI.

Totus mensis November adeo siccus fuit vt non nisi die 6. ante meridiem, ac die 28

ircac

a meridiem, lenta pluvia nivesque per unam
ramve horam deciderent, quod quidem in
mio raro obſervatur, plerumque enim au-
nus crebris imbribus madeſcit. Nebulae
en tam denſae tamque diuturnae erant, ut
totos dies pluresque continuos durarent,
m hoc quam priori integro menſe fluuii ſo-
magis decreverunt. Calor maximus fuit
aprico = 54° ther. Fahr. die 4. poſt mer.
r. 3. frigus auroræ vero toto menſe 32° non
erauit; maxima itaqua utriusque differentia
t = 22° minima autem = 3° ther. dicti.
e ultima cœlo ſudo calor in aprico 51° æqua-
t, at ſub auroram 32°.

§. LXXVII.

Epidemicus qui hucdum clavum tenuit,
c menſe penitus fere ſtativa ſua deſeruit, adeo
idem, ut neminem antea intactum laceſſe-
t, niſi poſtliminio rediens iura ſua repete-
t. E contrario eodem ipſo tempore febres
flammatoriae ſanguineae ac lymphaticae in-
olis caput exſeruere.

§. LXXVIII.

Cum noua luna die nempe 2. huius menſis
Decembris, ortus eſt ventus NNV. die vero
5. SO 6. N. 7. denuo SO, duravitque vsque
ad 14. qua VSV prorupit; dein 15. NNV
SO. iterum SO 22. S vehementior 23 ſuperior
ventus erat N inferiori S e diametro ei op-
poſito quamuis mitius continuante, quem ta-
men 27. N tandem ex inferiori etiam atmo-
ſphae-

phaerae plaga repressit. Initio NNV den
nebulam, sub medium SO serenitatem V
pluviam, dein NNV pluviam nive mixta
post nives solum, dehinc S pluviam N t
dem copiosas attulit nives. Differentia fr
ris matutini ac pomeridiani hoc mense exig
aliquando in primis obscuuo cœlo, nulla f
Calor post mer. hor. 2. die 8. in aprico s
ac tranquilla aura fuit $=40\frac{1}{2}°$ ther. Fahr. u
ma frigus matutinum $= 32°$.

§. LXXIX.

Cum mense isthoc tusses catarrhales s
secutae sunt, quae facile, aucto humorum
culo, simulque in minuta proportione natu
li perspirationis periphaericae, febrem co
nuam comitem sibi adsciuit, cui frequent
pleuritis ac peripneumonia, angina spur
item vomitus ac diarrhoea (si regimen re
gerans adhibitum) symptomatice accessere.
V. S. non ad symptomata, sed ad morb
primarium respiciendum erat. Vid. SYDENHA
Op. p. m. 310. seq. Emetica postea ac
epispastica indicabantur. Hic
finis anni 1766.

